

1020,



N. F. 26



DISSERTATIO THEOLOGICA
SECUNDA

DE

DISCIPLINA
ECCLESIASTICA,

QUAM

D. O. M. A.

Confensu Venerandi Ordinis Theologici
IN ILLUSTRACADEMIA JULIA
P R Æ S I D E

JOH. BARTHOLDO NIEMEIERO
SS. THEOLOGIAE DOCTORE, PRIMÆ PHILO-
SOPHIÆ NEC NON LOGICES PROFESSORE
PUBLICO ET ORDINARIO, FACULTATIS
SUÆ H. T. DECANO,

IN AUDITORIO THEOLOGICO

D. XI. SEPTEMB. ANNI clō Iōc xcv.

Publico Eruditorum examini submitter

AUGUSTUS FRIEDERICUS Schneider/
Halberstadiensis.



HELMSTADII,


Typis SALOMONIS SCHNORRIL

DISSERTATIO THEOLOGICA
SECUNDA
DE
DIPLOMA
ECCLESIASTICA

D. O. M. A.
Congregatio Venerabilis Ordinis Theologici
IN ILLUSTRATA ACADEMIA JULIA
P. R. E. S. I. D. E.

JOH. BARTHOLOM. NIEMMERO
22. THEOLOG. DOCTORE. TH. M. A. PHIL.
SOCIUM NEC NON LOGICIS PROFESSORE
PUBICO ET ORDINARIO FACULTATIS
SUB H. T. DECANO.
IN AUDITORIO THEOLOGICO
D. XI. SEPTEMBER. ANNI MDCCXCV.


Publico in auditorio cantu festo
AUGUSTUS FRIEDERICUS SCHNORR
Halle



WELMSTADIA

Typis SALOMONIS SCHNORRI





ΕΥ ΤΩ ΘΕΩ.

DISSERTATIO THEOLOGICA SECUNDA
DE
DISCIPLINA ECCLESIASTICA.

§. I.

Quam ratione Claves, Ecclesiae à Servatore nostro commissae, in ordine ad forum divinum, adeoque & ad forum conscientiae, quod internum est, sese habeant, ac per consequens quò usque ligandi & solvendi potestas Ecclesiae Ministris facta in ordine ad hoc forum sese extendat, ex præcedente Dissertatione est perspicuum. Consequens est, ut quænam ac quanta sit ista ligandi & solvendi potestas in ordine ad forum Ecclesiae, quod externum est, expendamus, & sic facile, quomodo disciplinae Ecclesiasticae ratio in ordine ad externum Ecclesiae forum sit comparata, constare poterit.

II. Ferit autem externa censura & disciplina Ecclesiae non occulta hominum peccata, quippe de quibus, ut vulgò dici solet, Ecclesia non judicat, sed notoria demum & manifesta peccata, quæ proinde cum scandalo non tantum singulorum, sed & totius Ecclesiae sunt conjuncta. *De manifestis quidem loquimur, secretorum autem Deus & cognitor & iudex est.* 32. *Distinct. cap. Erubescant. Et: non habent latentia peccata vindictam Ecclesiasticam.* 32. *Caus. Quæst. cap. Christiana.* Peccata manifesta quidem, ceu jam tum diximus, Deum ipsum quoque offendunt, atque hæc ratione ad forum divinum

A

num

num pertinent, offendunt tamen etiam proximum, imò & Ecclesiam; quò pactò insuper forum Ecclesiasticum & externum sortiuntur.

III. Sicut porrò peccata hominum, quatenus Deum offendunt, ex se sunt meritoria mortis ac damnationis æternæ: *stipendia enim peccati est mors* Rom. VI. v. 23, attamen sicuti ex se non sunt æqualia, ita nec æquales damnationis gradus promerentur, sed diversos: siquidem *Tyri & Sidonis tolerabilior futura erit conditio in die judicii, quàm Chorazin & Bethsaida, & Sodomorum tolerabilior conditio est futura in die judicii, quàm Capernaum, quæ usque ad cælum erat sublata*, Matth. XI. v. 21. 22. 23. 24. *Et servus ille, qui novit voluntatem Domini sui, nec se comparavit, nec fecit ex voluntate ejus, cadetur multis plagis. Qui verò non novit, & fecit digna plagis, cadetur paucis plagis.* Luc. XII. v. 47. 48. Ita nec in ordine ad Ecclesiam peccata hominum sunt æqualia, sed nonnulla magis, nonnulla minùs atrocia, nonnulla ex errore, præcipitantia, affectu, seductione aliorum commissa, nonnulla verò *γυμνῆ κεφαλῆ* & ex malitia, imò & ex habitu peccandi perpetrata. Unde & scandali dati ratio non est eadem: siquidem nonnulla majori, nonnulla minori cum scandalo sunt conjuncta. Quam disparitatem Ecclesia jure meritoque sollicitè attendit, quotiescunq; ad disciplinæ exercitium sibi est accedendum, neq; eadem vel pari severitate in singula peccata animadvertit.

IV. Peccata hominum ita sunt comparata, ut sicuti *Deus non est volens impietatem, sed odit omnes operantes iniquitatē: non habitat juxta eum malus, non stabunt stulti coram oculis ejus. Perdis mendacium loquentes, virum sanguinolentum & fraudulentum abominatur Jehovab.* Psalm V. v. 5. 6. 7. ita & homo per sua peccata internis & spiritualibus æternam salutem respicientibus bonis se exuit, iisque se indignum reddit. *Qui enim per peccatum est filius iræ, imò filius Diaboli*, Ephes. II. v. 3. I. Joh. III. v. 8. 10. is, quamdiu talis est, cum Christo nihil habet commune, nec *filius aut amicus Dei esse potest*, Gal. III. v. 26. Rom. IIX. v. 16. 17. Jac. II. v. 23. *Quæ enim communio luci cum tenebris? quæ concordia Christi cum Belial? aut quæ pars fidei cum*

fideli-cum infideli? II. Cor. VI. v. 14. 15. Porro, quandoquidem peccata hominum notoria & manifesta adeoq; cum scandalo conjuncta Ecclesiam quoq; offendunt, simul etiam id efficiunt, ut homo per eadem indignum se reddat externis illis beneficiis, quæ Ecclesia dispensat, imò actu ipsò iisdem excidat & privandus sit. Quænam verò sint interna Dei beneficia, quænam autem sint externa Ecclesiæ beneficia, jam tum indicatum est Differt. præced. §. XXXII.

V. Exclusio illa ab externis Ecclesiæ beneficiis vocari solet *ἀποκωνωσία*, *Excommunicatio*, atque Judæorum *aposynagogia* suo modò respondet. Et qui hòc pacto excommunicatur, ille coram Ecclesia *ligatur*. Exclusioni huic opponitur *Restitutio communionis*, quæ & *Pænis concessio* priscis vocatur, estq; nova admissio ad illa beneficia externa, quæ fideles in Ecclesia habent communia. Et qui hòc modò præviâ pœnitentiâ externâ ac satisfactione præstitâ ad istiusmodi Ecclesiæ beneficia rursus admittitur, coram Ecclesia *solvi* dicitur. Potest autem ac debet hæc *Ligatio* sive *Excommunicatio* non minus, quàm *solutio* sive *restitutio* communionis duplici ratione spectari: 1. in se, 2. ratione modi & graduum, item ratione conditionum homini ad Ecclesiam, unde ejectus fuerat, aut in qua beneficiis externis indignus fuit judicatus, reditum affectanti in pœnitentia externa adimplendarum, ratione rigoris externæ pœnitentiæ propositi, ratione temporis vel brevioris, vel longioris in pœnitentia externa exigendi, ratione *operum pœnialium*, quæ & *pœna canonica ac satisfactiones* vocabantur. Priori modò *Excommunicatio* est juris divini; posteriori verò ratione est juris Ecclesiastici, adeoque humani & positivi. Unde etiam est, quòd pœnæ canonice non in omnibus Ecclesiis eòdem modò sint definitæ, neque omnibus idem pœnitentiæ tempus sit præscriptum, & porro etiam cum aliis de causis, tum ad intercessionem fidelium, dispensatio circa rigorem pœnitentiæ fieri potuerit.

VI. Atque sic *Ligatio* & *Solutio* in ordine ad Ecclesiam in foro ejusdem externo facta non parum distat à ligatione

& solutione in ordine ad Deum & in foro divino atq; interno facta. Etenim quando coram Deo & in ordine ad forum divinū atq; internum homo in peccata relapsus clave non errante vel ligatur vel solvitur, ligatio illa & solutio in terra à Ministro Ecclesiae facta supponit ligationem & solutionem in caelis factam, eaq; ordine, si non aliò, saltem naturæ, est posterior. Ast ligatio & solutio in ordine ad forum Ecclesiae externum in terra facta naturâ est prior ligatione & solutione in caelis in ordine ad hoc forum externum factâ: siquidem quem Ecclesia clave præsertim non errante ita ligavit, ut eundem beneficiis in Ecclesia dispensandis, imò externâ communionem indignum judicet, hunc etiam Deus ita ligatum in caelis habet, nec prius Ecclesiae illius visibilis ac particularis membrum, adeoque externis Ecclesiae beneficiis dignum reputat, quàm piæviâ secundum Canones præstitâ satisfactione in Ecclesia, unde pulsus fuerat, sinum fuerit receptus. Idem de Solutione dicendum. Quem enim Ecclesia in ordine ad forum suum externum clave præsertim non errante solverit, & cui offensas scandalò præbitò datas remiserit, hunc etiam Deus suò judiciò solutum reputat, nec ei beneficia externa in Ecclesia dispensari solita invidet. Id quod adeò verum est, ut si Ecclesia reum absque ulla præstitâ satisfactione, vel non plenè præstitâ eadem, ideò quòd pœnitentem eum esse externò judiciò credat, recipere voluerit, Deus hanc dispensationem suò judiciò irritam non pronunciet.

VII. Deinde etiam ligatio & solutio in ordine ad forum Ecclesiae externum facta ab ea ligatione & solutione, quæ coram Deo & in ordine ad forum divinum adeoque internum fieri debet, in hoc differt, quòd hæc clave scientiæ & potestate ordinis, illa autem clave potestatis & potentiâ jurisdictionis exerceatur. Scilicet Christus Servator potestatem homines ob peccata ligandi & pœnitentes solvendi fecit suæ Ecclesiae, Ecclesia verò eandem potestatem Ministris Ecclesiae delegavit; atque ita illi nacti sunt potestatem judicium ferendi, quoniam Ecclesiae beneficiis sint digni, quoniam verò iisdem sint indigni, eaque dignis tribuendi, indignis

gnis subtrahendi. *Postquam ergò officia in Ecclesia sunt ordinata, nullus de clero audeat sumere officium sibi non concreditum, ne mysteriorum dispensatio fiat res vulgaris; inquit Theophylactus, Bulgarorum Episcopus, Comm. in Epist. ad Ephes. multò minùs Laico, præsertim extra casum necessitatis, in sacra hæc involare, ut potestatis Ecclesiasticæ exercitium sibi arroget, ex eo est permillum. Atque huc referenda sunt verba Apologiæ A.C. ubi de potestate Ecclesiastica agitur, p. 294. Placet nobis vetus partitio potestatis in potestatem ordinis, & potestatem jurisdictionis. Habet igitur Episcopus potestatem ordinis, hoc est ministerium verbi & Sacramentorum, habet & potestatem jurisdictionis, hoc est, autoritatem excommunicandi obnoxios publicis criminibus, & rursum absolvendi eos, si conversi petant absolutionem. Neque verò habent potestatem tyrannicam, hoc est sine certa lege, neque regiam, hoc est supra legem, sed habent certum mandatum, certum verbum Dei, quod docere, juxta quod exercere suam jurisdictionem debent. Et B. Lutherus in Artic. Smalcald. de potestate & Jurisdictione Episcoporum: p. 351. Evangelium tribuit his, qui præsent Ecclesiis, mandatum docendi Evangelii, remittendi peccata, administrandi Sacramenta: præterea jurisdictionem, videlicet mandatum excommunicandi eos, quorum nota sunt crimina, & resipiscentes rursum absolvendi. Ac omnium confessione, etiam adversariorum, liquet, hanc potestatem jure divinò communem esse omnibus, qui præsent Ecclesiis, sive vocentur Pastores, sive Presbyteri, sive Episcopi: Et post aliqua: p. 354. Jurisdictio illa communis excommunicandi reos manifestorum criminum pertinet ad omnes Pastores. --- Rectum est, hanc jurisdictionem reddere piis Pastoribus & curare, ut legitime exerceatur ad morum emendationem & gloriam Dei.*

IIX. Diffitendum tamen non est, appellationem *Jurisdictionis* in Ecclesia nonnihil esse recentiore, neque eandem primis seculis fuisse usurpatam. Quanta enim cunque est Ecclesiæ potestas, ea merè est spiritualis, neque ad temporalia bona dispensanda, aut civiles ac temporales pœnas irrogandas pertingit. Quod benè perpendens Constantinus Magnus, gloriosissimus Imperator, ad Episcopos convivio à se exceptos dixit; *Vos intra Ecclesiam, ego extra Ecclesiam à Deo E-*

Genera

A 3

pisco-

piscopus sum constitutus; uti est apud Eusebium de vita Constantini libr. IV. cap. XXIV. Hinc observat Edmundus Richerius, indicium faciente Ludov. Ellies Du Pin de Antiqu. Eccl. Disciplina Dissert. Histor. III. octo primis Ecclesie seculis, cum de autoritate Ecclesiastica mentio fiebat, non adhibebantur hac nomina, Jurisdictionis, Majestatis, aut Tribunalis, sed duntaxat Ministerii, Cathedrae. Et quod longè gravius est, quinq; primis Ecclesia seculis nullam leges poenam temporalem ab Ecclesia aut Conciliis inditam in peccatores & haereticos, sed tantum excommunicationem & depositionem. Poenitentibus equidem imponebantur nonnunquam poena aliqua, sed hi illas sponte suscipiebant, & si nolent iis defungi, non ad eas suscipiendas per vim ab Ecclesia cogebantur, sed tantum Excommunicatione mortali plectebantur. --- Post quintum demum seculum Episcopi Principum autoritate muniti coeperunt poenas etiam temporales decernere. Hæc ille.

IX. Jurisdictionis autem hujus Ecclesiasticæ cum jurisdictione in foro civili analogia in eo præcipuè consistit: Quemadmodum in foro civili nullum delictum punitur, nisi de corpore delicti prius constiterit, & delinquens vel debitò modò sit convictus, vel ipse delictum confessus; ita nec censuræ Ecclesiasticæ subjacent quælibet hominum peccata, sed notoria tantum & manifesta, ac proinde piis atque fidelibus scandalum præbentia. Benè Origenes in libr. Josuæ Homil. XXI. *Ubi peccatum non est evidens, ejicere de Ecclesia neminem possumus, ne fortè eradicantes zizania, eradicemus simul cum ipsis etiam triticum.* Optatus Milevitanus libr. IIX. *Accusatore silente non licuit nobis reum abstinere: scriptum est enim: ante cognitionem neminem esse damnandum.* Et Augustinus libr. L. Homiliar. Homil. L. *Nos à communione prohibere quenquam non possumus, quamvis hac prohibitio nondum sit mortalis, sed medicinalis, nisi aut sponte confessum, aut aliquo sive seculari, sive Ecclesiasticò judicò nominatum atque convictum.*

X. Delicta verò illa, quæ publicè innotescunt & propterea censuram Ecclesiasticam incurunt, non unius sunt rationis. Vel enim i. evertunt doctrinam cœlestem ad salutem æternam necessariam. Cujusmodi præcipuè sunt omnis generis

generis hæreses, quas Apostolus Gal. V. v. 20. operibus carnis annumerat, & heterodoxiæ quælibet fidei analogiæ, imò ὑποτυπώσει τῶν ὑγιαίνόντων λόγων repugnantes eamque vel enervantes vel prorsus destruentes. Exemplum nobis præbet Arius, de cuius heterodoxiis Alexander, Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus, scripsit ad Alexandrum Constantinopolitanum Episcopum, ex qua epistola, quæ apud Theodoretum libr. I. Hist. Eccles. c. IV. reperitur, pauca decerpemus. *Hæc sunt Apostolica Ecclesiæ dogmata, ---- quibus adversata Arii & Achillis factio inimica veritatis, ab Ecclesia remoti sunt, alieni à pietate doctrina nostra, juxta beatum Paulum dicentem: si quis annunciat vobis aliud, præterquam accepistis, esto anathema, quamvis angelum è cælo se esse simulet. ---- Hos igitur exclusos à fraternitate nemo vestrum suscipiat, neque admittat, quæ illi loquuntur aut scribunt. Mentiuntur enim venefici omnia, neque veritatem unquam proferunt: circum enim urbes cursitant, neque aliud agunt, quam assentationum literas tradere & auferre, quibus seducunt deceptas à se paucas mulierculas cumulatas peccatis. ---- Vos dilecti & concordēs suffragamini nobis contra furiosam illorum audaciam, similiter ut alii collegæ nostri, qui moti rei indignitate, & literas dedere ad me contra illos, & in charta anathematis subscribere nomina sua. ---- Sunt autem anathemate exclusi heretici: ex Presbyteris Arius: ex Diaconis Achilles, Euzoius, Ethales, Lucius, Sarmata, Julius, Menas, Arius alter, Helladius.* Hæc Alexander Constantinopolin scripsit, antequam Nicææ in Bithynia Concilium universale cogeretur. Refertur huc quoque Schisma, præsertim apertum, vinculum charitatis Christianæ solvens, ita tamen ut censura non quidem omnem, qui in schismate vivit, sed solummodò eum, qui schismaticus est & schisma operatur, feriat.

XI. 2. Committuntur peccata immediatè contra legem vel naturæ, vel positivam divinam, à quibus peccatis Christus pariter atque Apostoli homines passim in Scriptura Sacra sunt dehortati, quæque conversationem nostram parum faciunt honestam. Talia sunt blasphemia, perjurium, furtum, adulterium, incestus & similia, quorum longum catalogum
textic

textit Apostolus Gal. V. v. 19. 20. 21. I. Cor. V. v. 11. & cap. VI. v. 9. 10. I. Tim. I. 9. 10. II. Thess. III. v. 6. 11. 14. Huc pertinebant in Veteri Ecclesia ferventibus adhuc persecutionibus delicta *Libellaticorum*, *Thurificantium*, suò modò etiam *Traditorum*.

XII. 3. Committuntur peccata in legem positivã civilem, vel etiam in legem aliquam jure Ecclesiastico introductam: quæ itidem in Veteri Ecclesia censurã digna fuerunt visa. Sic v. g. *de aurigis & aguatoribus* in ludis Circensibus in Concil. Arelat. I. Can. V. placuit, eos si fideles fuerint, à communione abstinere; sicuti & Can. VI. *de theatricis*, quamdiu agunt, placuit, & ipsos à communione separari. Pariter *de aleatoribus* Concil. Eliberit. Can. 79. ita statuit: *Si quis fidelis aleã, id est, tabulã luserit, placuit eum abstinere. Et si emendatus cessaverit, post annum poterit communione conciliari.* De ministris Ecclesiæ, qui *fœnerantur*, placuit Concilio Arelatensi I. Can. XII, eos *juxta formam divinitus datam à communione abstinere.* Aquilam Ponticum, Scripturæ Sacræ notum illum ex lingua Hebræa in Græcam transcriptorem, qui primùm gentilis fuit, deinde Christianus, *ab Ecclesia pulsum esse, quòd Astrologia judiciaria esset studiosus*, scribit Bellarminus libr. II. de Verbo Dei cap. V. De eo, qui *in civitate est positus*, statuit Concil. Eliberit. Can. XXI. *si per tres Dominicas Ecclesiam non accesserit, tantò tempore abstineat, ut correptus esse videatur.* Pariter Concilium Carthaginiense quartum Can. XXIV. sanxit, eum, qui *sacerdote verbum in Ecclesia faciente fuerit de auditorio egressus, esse excommunicandum.* Ita apud Basilium M. in Epist. Canonicã ad Amphilochem Can. IV. *trigami ex reverentia mysteriorum propter certum vitæ statum ad quinquennium; & bellatores Can. XIII. ad triennium jubentur abstinere; quamvis deinceps his ipsis ea pœnitentiæ pars, quæ ὑπόστροφος dicitur, non fuerit injuncta.*

XIII. Hæc & iis similia alia delicta erant objectum censuræ atque disciplinæ Ecclesiasticæ, simul ac ea notoria & manifesta esse incipiebant. Fieri verò interdum potest, ut ceu superiori Dissert. §. XXX. monuimus, de corpore quidem delicti constet, ipsumque delictum in se sit notorium, v. g. furtum, homicidium; autor verò ejusdem adhuc sit incognitus & la-

& latens. Simul ac verò non vanæ aut temerè susceptæ suspiciones, præsumptiones, aut alia indicia eundem gravare incipiunt, sollicitè & prudenter eum ad spontaneam confessionem & deinceps ad seriam pœnitentiam cohortatur Ecclesia. Quòd si verò hujusmodi homo delictum confiteri detrectaverit, & interim neque testibus, neque aliâ ratione in iudicio sive civili, sive ecclesiastico fuerit convictus, Ecclesia sanè violentis mediis ad confessionem eliciendam non utitur. Certè *ferri candentis vel aquæ ferventis examinatione, sive aliâ supersticiosâ inventione confessionem extorqueri ab aliquo, sacrè non concedunt canones; spontaneâ enim confessione, vel testium approbatione publicata delicta, habitò præ oculis Dei timore, commissa sunt regimini nostro judicare, occulta verò & incognita illi sunt relinquenda, qui solus novit corda filiorum hominum; rectè inquit Stephanus V. Pontifex, ab Umberto Moguntino super probatione ferri candentis consultus, apud Sixtum Senens. in fine libr. II. Bibliothec. In tali itaque casu Ecclesia ulterius non progreditur, sed acquiescit in criminis ipsius reprehensione ac detestatione, in hominem verò ipsum, qui criminis quidem aliquò modo fuit suspectus, illius tamen nec convictus, nec illud confessus fuerit, sed potiùs constanter illud negaverit, nihil statuit, nisi fortè admonitiones & cohortationes privatas adhibeat, à reliquis autem censuris abstinet.*

XIV. Alia verò est ratio, si in promptu sint, quibus delinquens criminis perpetrati possit convinci; cujusmodi sunt vel dicta, vel scripta ipsius, vel alia instrumenta publica, vel testes, vel aliæ probationes. Tunc enim reus audiendus est, ut vel sponte delictum confiteatur & censuræ se subjiciat, vel ut vincatur, atque sic fiat, quod Christi voluntati & Canonum Ecclesiæ decretis est consentaneum. Huic fini in Conciliis, in quibus hæreticæ pravitates examinabantur, usu receptæ erant trinæ vocationes hæreticorum. Quam in rem sufficit Arii exemplum allegasse, qui cùm in Concilio Nicæno tribus vicibus vocaretur, ut coram Patribus causam suam diceret, ipse tamen comparere detrectaret, uti jam tum per scripta, & dicta propria testium omni exceptione

B

ma-

majorum fide probata pessimæ hæreseos erat convictus, ita in contumaciam quoque concludebatur, & Arius talis habebatur, qui hæreticam pravitatem esset confessus; atque sic fiebat, ut ipse communione Ecclesiæ pelleretur, nec non anathema ipsi atque impiis ejus doctrinis diceretur. Idem in reliquis Conciliis, præsertim Oecumenicis, est observatum, quoties contra hæreticam pravitatem fuit depugnandum.

XV. Istiusmodi igitur cognitio & decisio causæ, imò sententiæ ab Ecclesia sive universali sive particulari latæ executio jurisdictionis instar habet. Sæpe tamen prolixâ inquisitione & causæ cognitione non fuit opus. Non rarò siquidem factum, ut delinquentes sua delicta ingenuè patefecerint, & cum detestatione ac dolore super eadem citra tergiversationem ulteriorem sponte suâ fuerint confessi. Alii adhortationibus, rogationibus & obtestationibus Ecclesiæ ministrorumque ejus facilem dederunt locum, peccata sua hucusque occulta non amplius dissimulantes, & misericordiæ divinæ Ecclesiæque arbitrio se totos permittentes. Atque ad hujusmodi spontaneam confessionem Patres subinde sunt cohortati. Ex multis audiamus Tertullianum libr. de Pœnitent. cap. X. suadentem, ut peccator sua delicta non solum sacerdotibus, sed & reliquis fratribus confiteatur, ut absolutionem in Ecclesia coram omnibus obtineat. *Videlicet, inquit inter alia, si quid humane notitia subduxerimus, proinde & Deum celabimus? Adeone existimatio hominum & Dei conscientia comparantur? An melius est damnatum latere, quam palam absolvi?*

XVI. Jungimus huic S. Augustinum libr. L. Homiliar. Hom. L. cap. XI. ita inquentem: *Judicet ergò se ipsum homo in istis voluntate, dum potest, & mores convertat in melius, ne cum jam non poterit, etiam præter voluntatem à Domino judicetur. Et cum in se protulerit severissima medicine sententiam, veniat ad Antistites, per quos illi in Ecclesia claves ministrantur, & tanquam bonus incipiens jam esse filius, maternorum membrorum ordine custoditò, à Præpositis sacrorum accipiat satisfactionis suæ modum, ut in offerendo sacrificio cordis contribulati, devotus & supplex id tamen agat, quod non solum illi prosit ad recipiendam salutem, sed etiam cæteris*
ad

ad exemplum: ut si peccatum ejus non solum in gravi ejus malo, sed etiam in scandalo est aliorum, atque hoc expedire utilitati Ecclesia videtur Antistiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis agere poenitentiam non recuset: non resistat, non lethali & mortifera plaga per pudorem addat tumorem. Meminerit tamen semper, quod superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam.

XVII. Spontanea ista peccatorum confessio in primitiva Ecclesia fiebat vel publicè & coram tota Ecclesia, vel privatim coram Ministro Ecclesiæ. Cùm enim confessio ideò fieret, ut poenitens peccator, qui per peccatum actu ipsò ligatus est, solveretur, & verò jus ligandi & solvendi, quod Ecclesia à Christo accepit, quoad exercitium ad Ministros Ecclesiæ sit devolutum, sufficere interdum videbatur, coram Ministro Ecclesiæ fieri peccatorum confessionem. Qui spontè suâ publicè coram Ecclesia sua peccata in majorem eorundem detestationem fatebantur, iis publicè quoque injungebantur satisfactiones canonicæ, quibus præstitis publicè solvebantur & communioni reddebantur. Qui verò privatim sua fatebantur delicta, cum iis Ministri Ecclesiæ pro re nata privatim & semotis arbitris agebant, quod juribus & Canonibus Ecclesiæ erat consentaneum. Scilicet non semper Ministrò Ecclesiæ fas erat, delictum sibi soli in confessione manifestatum, aut cujus notitiam ipse solus habeat, ad Ecclesiam deferre. *Quis enim sibi utrumque audeat assumere, ut cuiquam ipse sit accusator & judex?* inquit Augustinus cit. Homil. L. Et Homil. XVI. de verbis Domini cap. iix. *Novit nescio quem homicidam Episcopus, & alius illum nemo novit. Ego nolo illum publicè corripere, & tu queris inscribere. Prorsus non prodo, nec negligo. Corripio in secreto, pono ante oculos Dei judicium, terreo cruentam conscientiam, persuadeo poenitentiam.* Poenitentia autem, quam se peccatoribus hujusmodi Augustinus persuadere dicit, minimùm erat privata. Quæ res non solum occasionem & originem dedit Confessioni auriculari, sed & fuit origo Poenitentiarum ac Confessarii in Ecclesia instituti. Id quod jam tum Sec. III. in Ecclesia factum fuisse ex Socrate dilci potest. Is enim libr. V. Hist. Eccles. cap. xix. de temporibus Decii &

Novatianorum loquens inter alia sic inquit : *Ecclesia canonice certum presbyterum pœnitentibus constituenti hoc addiderunt Episcopi, ut qui post Baptismum prolapsi essent, peccata sua coram illo confiterentur.* Quamvis simul addat Socrates consiliô Nectarii illud institutum in Ecclesia Constantinopolitana fuisse sublatum, cujus etiam rei occasionem commemorat, quam & attingit Sozomenus Hist. Eccl. libr. VII. cap. xxvi. Ex quo etiam factum fuit, ut disciplinæ Ecclesiasticæ rigor in Orientali Ecclesia paulatim remittere inciperet, ut suô locô monebimus. Interdum etiam interveniebant quædam circumstantiæ, quibus necessum non erat, delictum specialiter Ministro Ecclesiæ confiteri, sed sola contritio cum fide conjuncta, & ex ea confessio soli Deo facta sufficere credebatur. Quâ de re Ambrosius in Luc. xxii. de Petro Christi abnegationem amare deflente : *Non invenio, inquit, quid dixerit, invenio, quod fleverit. Lachrymas ejus lego : satisfactionem non lego. Sed quod defendi non potest, abluï potest. Lavant lachryma delictum, quod pudor est confiteri.*

XXII. Diximus hætenus, cujusmodi sit ligandi & solvendi potestas Ecclesiæ in ordine ad forum suum externum competens. Illam verò non solum in ordine ad forum divinum & conscientiæ, quod internum est, sed & in ordine ad forum suum externum Ecclesiæ jure divinô competere, erit probandum. Insignis hanc in rem est locus Matth. xix. v. 1718. ubi Christus eum, qui saniora monentes, errantemq; in viam reducere conantes audire neglexerit, ad Ecclesiam deferri præcipit, ut hujus judiciô intelligat, sibi quid faciendum sit. Quòd si verò hujusmodi peccator Ecclesiæ quoq; judicium insuper habuerit, ejusque admonitiones in sui emendationem convertere detrectaverit, is ex præscripto Christi non aliô habendus erit locô, quàm quò locô Judæis fuerunt ethnici & publicani, h. e. non amplius habendus erit pro fratre. Sunt quidem nonnulli, qui solummodò de offensa in hominem privatum eo loco agi putant; sed quamvis ita sit, multò tamen magis Ecclesiæ judicio se submittere ejusque censuram experiri debet, qui manifesto & publicè noto

tō peccato scandaloque hoc pacto dato ipsam Ecclesiam læ-
sit. *Illi enim, qui enormiter atque ita peccant, ut scandalum in-
de oriatur, coram omnibus sunt arguendi, ut reliqui timorem ha-
beant.* I. Tim. V. v. 20. Porro ut ut is præcipuè, qui à fratre nul-
lam emendationem admittente læsus est, ab hujusmodi fra-
tre inordinatè incedente se subducere, neque eum amplius
pro fratre habere debet, attamen quia hoc facit ex Ecclesiæ,
quã alter contempsit, iudicio, nec reliqua Ecclesiæ membra fra-
tri huic læso adunita, peccatorem hujusmodi præfractum pro
fratre amplius habere possunt, sed ab eo pariter se subducere
debent, quam secessionem deinceps hic effectus comitatur, ut
præfracto huic peccatori beneficia quoque externa Ecclesiæ,
cujusmodi sunt precum & Sacramentorum communio, sub-
trahantur, ac tamdiu, donec resipiscat & cum Ecclesia in gra-
tiam redeat, denegentur. Quod ipsum in effectu est aliqua
absentio & excommunicatio, imò ille ipse *δεσμός*, cujus
Matth. xix. v. 18. fit mentio, & cui *λύσις* opponitur. Conf.
Matth. xvi. v. 19. Joh. xx. v. 21.

XIX. Neque insuper habenda sunt verba Servatoris
Matth. vii. v. 6. ita præipientis: *Ne date sanctum canibus, nec
projicite margaritas vestras coram porcis, ne quando conculcent eas
pedibus suis & versi in vos lacerent vos.* Canis est profanum, sic-
uti porcus immundum animal. Et *Canum* nomine in Scriptu-
ra Sacra designantur ii, qui sunt extra Ecclesiam, Apoc. xxii.
v. 15. h. e. non solum qui non intrarunt eandem, quin potius
contemptum verbi & sanioris doctrinæ præ se ferunt, nullam
spem fructus de se ostendentes, verum etiam qui sanam do-
ctrinam quidem agnoverunt, à fide tamen ejusdem ex ma-
litia defecerunt. *Porcorum* nomine intelligi possunt ii, qui vi-
tiis & pessimâ vitâ sese contaminarunt. Per *Sanctum*, quod
tanquam *res pretiosa*, imò tanquam *thesaurus* Ecclesiæ creditum
atque ab ea custodiendum est, denotatur verbi divini prædi-
catio ac præcipuè annunciatio Evangelii de gratuita pecca-
torum remissione, nec non ipsa Sacramenta, & quæcunque
alia bona externa, quæ Ecclesia dispensat. Sicuti itaque por-
ci glandibus potius sunt saginandi, quàm margaritis exor-
nandi

nandi: *quid enim in auris aurea in naribus porci?* Proverb. xi. v. 22. nec carnes in sacrificium à Judæis oblatas, tanquam sanctas, canibus objicere, aut aliorum, quàm in Dei cultum & sacerdotum, eorumque qui sacrificium obtulerant, usum convertere licebat; ita nec Ecclesiæ, quæ provida *mysteriorum divinatorum dispensatrix* esse debet, I. Corinth. IV. v. 1. sanctitas permittit, ut vel pertinaces infideles, vel homines in perversitatem veræ fidei inimicam, aut in improbitatem relapsos in suum gremium admittat, aut quamdiu tales sunt, ad gratuitam peccatorum remissionem, vel ad Sacramentorum usum aditum ipsis patefaciat, quin potius si tales reperiantur, inde eos non minùs pellit, quàm immundus canis vel porcus ex nitida domo projicitur, ne fortè in Ecclesiam versi eam lacerent, atque ita Ecclesia hostes in sinu suo foveat. Ea enim est pravæ doctrinæ indoles, ut longè latèq; serpens *depascat ut gangrena*, II. Tim. II. v. 17. ac inficere, imò *seducere* conetur, *si fieri posset, etiam electos*, Matth. xxiv. v. 24. ea etiam malorum exemplorum est perversitas, ut eos facile abripiat, quibus volupe est *seculo conformari*. Rom. XII. v. 2. Ne igitur tale quid accidat, Ecclesia sanctum suum hujusmodi hominibus indignis ex voluntate Domini subtrahit & denegat, adeoque à sacra communione eos arcet, dignos verò ad horum beneficiorum participationem istò jure admittit, adeoque illos ligat, hos verò solutione dignos sese gerentes solvit & solutos habet. Id ipsum verò jus Ecclesiæ ab ipso Christo hoc pacto est præscriptum.

XX. Ejusdem rei probatio latet quoque in verbis Apostoli I. Cor. XI. v. 27. & 29. *Qui ederit de pane illo, qui est communicatio corporis Domini, aut biberit hoc poculum benedictionis, cui benedicimus, quodque est communio sanguinis Christi, indignè, reus tenebitur corporis & sanguinis Domini. Qui edit & bibit indignè, damnationem sibi ipsi edit & bibit, non discernens corpus Domini.* Non solum autem singuli, qui in Ecclesia degunt, providè cavere debent, ne sibi metipsis damnationem indigno S. Coenæ usu accersant, unde adèd *quisque seipsum probare debet, atque ita de pane illo edere, & de poculo illo bibere*,
l. c.

I. c. v. 28. sed & Ecclesiae, ejusque ministrorum, utpote pro salute hominum excubias agentium, est non alios ad sacram communionem admittere, quam quos eadem dignos noverunt, eos verò à sacra communionem arcere, qui eadem se indignos reddiderunt. Quò ipsò autem jure Ecclesia hominem indignum à sacrae Eucharistiae usu & reliqua communionem sacra vel suspendit, vel prorsus repellit & excommunicat, atque ita ligat, eò ipsò jure eum, qui actà poenitentia & diligenti probatione institutà dignum se esse ostendit, qui ad sacram Eucharistiam reliquamque Ecclesiae communionem admittatur, sacrorum istiusmodi facit participem, & si vinculis Ecclesiae huc usque fuerit innodatus, eum solvit. Hoc ipsum verò jus est divinum, cum eo conjunctum, quod Ecclesiae ejusque ministris injungit, *ut attendant gregi, in quo Spiritus Sanctus ipsos constituit Episcopos, Act. XX, v. 28. & pascant Dei gregem, qui penes ipsos est, curam illius agentes, I. Pet. V. v. 2. vigilentque pro animabus hominum, tanquam rationem reddituri, Hebr. XIII, v. 17.*

XXI. Hòc ipsò jure quoque Ecclesia tempore Apostolorum jam tum fuit usa. Siquidem Apostolus hominem incestuosum, qui novercam suam duxerat uxorem, *cum potestate Domini nostri Jesu Christi* h. e. non ex privata quadam autoritate, sed ex autoritate, quà Christus suam Ecclesiam munivit, *absens quidem corpore, praesens autem spiritu* judicavit tradendum esse Satanae ad interitum carnis, *ut spiritus salvus sit in die illo Domini Jesu*; atque ita expurgaretur fermentum, quò ne tota massa fermentaret, periculum erat, nec fideles amplius commiscerentur cum eo, qui fratrem quidem se nominat, & tamen scortator est, aut avarus, aut idololatra, aut convitiator, aut ebriosus, aut rapax, hujusmodi enim sceleratus potius tollendus est, ex coetu fidelium, I. Cor. V. v. 1. 3. 5. 7. 11. 13. Qui ipse tamen peccator cum ἐπετεμίαια à pluribus h. e. Ecclesiae presbyterio factà ad seriam poenitentiam se permoveri fuisset passus, ejusque insignia documenta exhibuisset, Paulus Ecclesiam Corinthiacam tam lenem ac facilem ad veniam dandam voluit esse, quam severam in eo ejiciendo sese ostenderat. *Precor vos, inquit, ut ratam faciatis*

in illum poenitentem peccatorem *charitatem*, & offensam ei condonetis, eumq; *consolemini*, ne quò modò redundante tristitià abjor-beatur & in desperationem adducatur vir hujusmodi; quippe cui vos condonatis, & ego condono. Nam & ego si quid condonavi, cui condonavi, propter vos id feci, in conspectu Christi, ut ne occupemur, supremur, à Satana: non enim illius machinationes ignoramus. II. Cor. II. v. 6. 7. 8. 10. 11. Insigne est hoc disciplinæ ab Ecclesia ex potestate à Christo concessa adhibitæ exemplum, quod monet, eandem disciplinam non ad omnimodum interitum, sed ad humiliationem & resipiscentiam, atque ultimò ad hominum salutem esse dirigendam.

XXII. Idem jus usurpavit Apostolus in *Alexandrum* Ephesium, cujus mentio fit Act. XIX. v. 13. & *Hymeneum*, fidei naufragium facientes, quippe quorum alter cum *Phileto* contendebat, resurrectionem jam esse factam, subvertens hòc pactò fidem quorundam. II. Tim. II. v. 17. 18. in quem errorem alterum quoque incidisse vero est simile. Utrumque enim Apostolus *Satanae* tradidit, h. e. utrumque tanquam putridum membrum à reliquo Christi corpore resecuit, atque ita excommunicavit, ut pudore probròq; correcti *dicerent non blasphemare*, atque ab impiis convitiis, quibus in Evangelicam doctrinam debacchabantur, sibi temperare, I. Tim. I. v. 19. 20. Quod ipsum autem in Ecclesia fieri debere hòc exemplò *Timotheum* docuit Apostolus, id ipsum quoque præcipit *Thessalonicensibus* II. Epist. II. v. 6. inquit: *Denunciamus vobis, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut subducatis vos ab omni fratre, qui inordinatè sese gerit, & non ex tradita doctrina, quam accepit à nobis. Et v. 13. Quòd si quis non auscultat nostro per epistolam sermone, hunc notate, & ne commercium cum eo habete, sed potiùs eum à familiaritate fidelium submovete, ut eum pudeat, atq; ita resipiscat.*

XXIII. Isto jure divinitùs sibi concessò Ecclesia quoq; Apostolico ævo proxima fuit usa. Mittimus multa exempla, quæ historia suppeditat, & ad illustriora digitum tantùm intendimus. Tàm sanctè enim Ecclesia jus illud à Domino sibi concessum custodivit, ut etiam in Reges & Principes, aliosq; Magistratum gerentes eòdem uti non dubitaverit. Quà ratione

tione Ambrosius, Mediolanensis Episcopus, Theodosium Theſſalonicenſium cæde pollutum à communionẽ Eccleſiæ arcuerit, eum verò publicam quidem, non tamen ſolennem, quæque cum ciliciò, pulvere, nudis pedibus, aliisque ſecundum gradus canonibus præſcriptos ceremoniis conjuncta fuerit, pœnitentiam agentem citra diuturna pœnitentiæ externæ exercitia primò exomologeſeos die communioni ſacræ reſtituerit, graphicè narrat Theodoretus Hiſtor. Eccleſ. libr. V. cap. xix. Pœnitentiam ejus publicam deſcribit quoque Ruſſinus libr. II. Hiſtor. Eccleſ. cap. xix. imò ipſe Ambroſius, Orat. habita in funere Theodoſii, inter alia ſic inquiens: *Dilexi virum (Theodoſium,) qui magis arguentem, quam adulantem probaret. Stravit omne, quò utebatur, inſigne regium, deſcendit in Eccleſia publicè peccatum ſuum, quod ei aliorum fraude obrepſerat, gemitu & lachrymis oravit veniam. Quod privati erubeſcunt, non erubuit Imperator, publicè agere pœnitentiam: neq; ullus poſtea dies fuit, quò illum non doleret errorem.* Pluribus hanc rem proſequitur Eraſmus Præfat. Operibus Ambroſii præmiſſâ, in qua inter alia ſic loquitur: *Nulla ex victoria armis partâ plus laudis tulit Theodoſius, quam quò ab Ambroſio ſe vinci paſſus eſt. Babylæ parum feliciter ceſſit, quò Imperatorem impiâ cæde funeſtatum templo prohibuit, imò feliciter ceſſit ipſi, qui Præſulis autoritatem ſuâ morte confirmavit. At Ambroſio ceſſit felicitiùs, qui ſummâ conſtantiâ ſuam tenens autoritatem ipſum etiam Caſarem Chriſto lucrifecit, ac pulcherrimum exemplum omnibus monarchis edidit, quanta ſit episcoporum dignitas, ſi modò verè ſint, quod audiunt. Nec dubito, quin tales ſimus habituri Principes aliquot, qualis fuit Theodoſius, ſi tales haberemus Episcopos, qualis erat Ambroſius: & haberemus, opinor, niſi populi mores alienarent benigni Numinis favorem.*

XXIV. Idem Ambroſius Maximum, Gratiani, domini ſui, percufforem & imperii invaſorem à communionẽ ſegregavit; ut in vitâ Ambroſii ad Auguſtinum perſcriptâ tradit Paulinus, Episcopus Nolanus, inter alia ſic inquiens: *Occiſo Gratianò Imperatore, recipiendi corporis ejus cauſâ ſecundam ad Maximum ſuſcepit legationem. Apud quem quàm conſtanter egerit, qui voluerit cognoſcere ipſius legationis epistolam ad Valentinianum*

C

junio-

juniozem datam cum legerit, approbabit. ----- Ipsum vero Maximum à communionis consortio segregavit Ambrosius, admonens, ut effusi sanguinis domini sui, & (quod est gravius) innocentis, ageret poenitentiam, si sibi apud Deum vellet esse consultum. Sed ille cum poenitentiam declinat superbò spiritu, non solum futuram, sed etiam presentem salutem amisit, regnumq; quod malè arripuerat, foemineo quòdam timore deposuit, ut procuratorem se reipublica nomine praefuisse confiteretur. Idem Paulinus meminit quoque censuræ ac disciplinæ Ecclesiasticæ in Theodosium ab Ambrosio exercitæ his verbis: *Quod factum* (de Thessalonicensibus interemtis) *ubi comperisset sacerdos* (Ambrosius,) *copiam Imperatori ingrediendi Ecclesiam denegavit, nec prius dignum judicavit cœnæ Ecclesiæ, vel sacramentorum communioni, quam publicam egisset poenitentiam. Cui Imperator contra asserbat, Davidem simul adulterium & homicidium perpetrâsse. Sed responsum illicò est: Qui secutus es errantem, sequere corrigentem. Quod ubi audivit clementissimus Imperator, ita suscepit animo, ut publicam poenitentiam non abhorreret.*

XXV. Simile quid in Eudoxiam Imperatricem, Arcadii uxorem, statuit Johannes Chrysostomus. Hanc enim ob iniquam avaritiam & rapinas ingressu Ecclesiæ prohibuit, idq; ipsum hòc pacto excusavit, se hoc minimè agere, ut Imperatricis majestatem contemneret, sed ut viduæ injuriam patienti præstò esset, tum etiam ut animæ Augustæ benè confu-leretur, quòd præcipuum esset Episcopalis dignitatis officium, curæ prospicere animarum. Vid. Baronius in Annal. ad ann. Chr. CCCCI. & ex eo Spondanus ibid. num. ix. Sicuti & idem Chrysostomus Eudoxiam propterea vehementi in-vectivâ est persecutus, quòd ad statuam argenteam ludos populares juxta Ecclesiam institui jussisset, imò simulachrum suum per provincias deferri curâisset, non secus ac olim Cybeles idolum gentiles soliti sunt circumferre. Vid. Baronius & ex eo Spondanus ad Ann. Chr. CCCIV. Quâ ratione Synesius, Ptolemaidis Episcopus, Andronicum, Præfectum Pentapolitanum Ecclesiam Dei ipsumque Christum, Dominum nostrum sæpissimè factis & verbis contumeliosis publicè affi-

gient

cientem, ministrisque Ecclesiæ hæc facta improbantibus dira
quælibet intentantem in Synodo Ptolemaide in Ægypto an-
nò CCCCXI, coactâ excommunicaverit, ipse Synesius in di-
versis Epistolis narrat, præsertim in Epistola LIX. Excom-
municationis causas & formulam, antiquos Excommunica-
tioni adjunctos ritus prodentem, compendiosè descripsit
Spondanus ad ann. Chr. ccccxi, num. xi. Quæ Excommu-
nicatio ita fregit Andronicum, ut post duram inter lapsos
pœnitentiam actam veniam enixè expetitam inveniret. Alia
exempla, quæ in promptu sunt, consultò hæc vice dimittimus.

XXVI. Indicatum hæctenus satis est, undenam Eccle-
sia habeat jus notorios & præfractos peccatores in foro suo
externo ligandi eosque cum à beneficiis externis in Ecclesia
dispensari solitis, tum etiam ab ipsa societate fraternitatis ex-
cludendi, pœnitentes verò & singularem de peccatis admis-
sis dolorem præ se ferentes iterum ad externa Ecclesiæ be-
neficia admittendi & communioni externæ restituendi. Sci-
licet illud ipsum jus secundum se consideratum merè divi-
num est, ut ostendimus. Nec abs re dixit Chrysofomus Ho-
mil. IV. ad Cap. II. Epist. ad Hebræos: *Nemo contemnat vincula
Ecclesiastica. Non enim homo est, qui ligat, sed Christus, qui nobis
hanc potestatem dedit, & dominos fecit homines tanti honoris.* In ipsa
verò illa juris divini administratione concurrunt nonnulla,
quæ non juris divini sunt, sed Ecclesiastici, atque adeò huma-
ni. Cujusmodi quid observatur circa gradus ligationis sive
excommunicationis, nec non circa ritus externos eidem an-
nexos, sicuti & circa solutionem & restitutionem ad Eccle-
siam tam quoad circumstantias ejusdem, quàm quoad exter-
nam pœnitentiam pœnasq; canonicas in eadem priùs sube-
undas & satisfactiones præstandas, quàm ipsa restitutio & ple-
naria reconciliatio sequatur; quæ omnia si non Ecclesiæ uni-
versalis, saltem particularium Ecclesiarum canonibus sunt
determinata.

XXVII. Gradus Excommunicationis vel ipsa pecca-
torum & delictorum diversitas & inæqualitas, vel diversi mo-
res peccantium, eorumq; externa conversatio introduci facilè

permiserunt. Sicuti enim peccatorum nonnulla gravitate
atque atrocitate suâ reliqua superant, & in nonnullis culpa
animadvertitur, in nonnullis plus, quàm culpa, insuper etiam
hominis peccatoris mens in peccati perseverantia nunc per-
tinacior est, nunc verò flecti se facilius patitur; ita & factum
fuit, ut non idem excommunicationis rigor erga omnes in-
venerit locum, sed hujusmodi circumstantiæ necessitatem
imposuerunt certos quosdam ejusdem gradus constituendi.
Hinc Excommunicatio cœpit esse vel *minor*, vel *major*. Qui
gradus non solum ex rei æquitate, quam indicavimus, deflu-
xisse, sed & Synagogæ exemplo inniti videntur.

XXIX. Etenim ex quo Judæi in captivitate Babylo-
nica detenti judicia criminalia secundum legem Moïsis exer-
cere non poterant, ut legis transgressores in officio contine-
rentur, excogitata fuit segregatio, cujus primùm fit mentio
Esd. X. v. 8. *Qui non venerit intra triduum, juxta consilium prin-
cipum & seniorum, peribit universa substantia ejus, ipseq; separabi-
tur à cœtu transmigrationis.* Conf. Nehem. X. v. 29. 30. Istò pactò
Nehemias cap. XIII. v. 3. non solum separavit Ammonitas &
Moabitas, omnesque alios alienigenas atque *universam mix-
turam ab Israëlè*, sed & v. 28. unum ex filiis Jojada à se fugavit
& sacerdotio exuit, propterea quòd factus fuisset gener Sanabal-
lat, Horonita, atque ita polluisset sacerdotium & pactum sacerdotis
& Levitarum. Inde subsecuta fuit ἀποσυναγωγία, seu exclusio
non solum ex Synagoga seu διδασκαλείω, sed & omni po-
puli conventu, quam Judæi valdè metuebant, eamque mina-
bantur omnibus Christum confessuris Joh. IX. v. 22. 34. 35. C. XII.
v. 42. Quam ignominiam propterea quoque Apostolis irro-
gatum iri Servator ipsis denunciat Joh. XVI. v. 2. Erat ea in-
terdum conjuncta cum expunctione nominis è populo Dei, ut ex-
plicatur Luc. VI. v. 22. ubi ἀφορισμῶ separationi jungitur ἐκ-
βολὴ τῶ ὀνόματι ὡς πονηρῶ, *ejectio nominis, ut mali, Capitis dimi-
nutioni* (quæ triplex erat: maxima, media, minima, l. II. ff. de
capit. minut.) in jure Romano respondens, cujus extremus
gradus erat proscriptio in homines aliàs nequissimos & lucis
usurâ indignos statuenda.

XXIX.

XXIX. Quamvis autem apud Judæos separatio istiusmodi non exiguæ censuræ atque pœnæ rationem habuerit, hi tamen in eadem decernenda & irroganda non semper eodem rigoris gradu videntur usi. Communiter quidem Excommunicationem Judæis usitatam ad tres revocant gradus. Primus est נִירָו, alter כְּרִי, tertius שְׁמַתָּא, uti videre est apud Janum Drusium in Quæst. Hebr. libr. I. Quæst. IX. & Joh. Buxtorffium in Institutione Epistolari Hebraica cap. VI. Nonnulli tamen duos tantum gradus constituunt: siquidem vel כְּרִי, quod tam generis, quam speciei nomen est, & שְׁמַתָּא unum excommunicationis gradum esse putant, vel שְׁמַתָּא cum נִירָו idem faciunt; quod posterius Seldeno libr. IV. de J. N. & G. ex discipl. Ebræor. cap. II. p. 533. 534. magis arridet. Primâ excommunicatione sive separatione, quæ נִירָו vocabatur, removebatur homo à solitæ consuetudinis conversatione, non ad dies tantum septem (hæc enim exclusio erat נִיפְרָו *Nesipha*, cujus exemplum est Num. XII. v. 14. 15. ejusque ab altera separatione differentiam monstrat Ligtfootus Hor. Hebr. ad 1. Cor. V. v. 5.) sed ad dies minimum triginta, sive ad integrum mensem, eò fine, ut interea pœnitentiâ ductus ad meliorem rediret mentem. Ita namque legitur in Hierol. Moëd Katon fol. 81. 3. *Excommunicatio (Niddui) non erat minus, quam in triginta dies, sicut dicitur: Usque ad mensem, usque dum exeat caro per nares vestras.* Num. XI. 20. Removebatur hōc pacto delinquens à societate hominum, etiam sibi maxime familiarium, præterquam uxoris & liberorum, ad cubitus minimum quatuor, nec inter decem illos erat, qui coetum orantium constituerent, imò si novem essent in societate, ipse accessu suo denarium numerum non complebat. Nam juxta Hebræos tres quidem ad epulum, decem autem minimum ad communem orationem requiruntur. Erat verò hæc pœna non tam Ecclesiastica, quam civilis, quippe quæ à Sacerdote non imponebatur, nec è Synagoga hominem prorsus excludebat, nec è templo submovebat, nec absolutam maledictionem habebat conjunctam, quamvis tamen qui hōc pacto erant separati, lugentes cum aliis peccatoribus

muib

C 3

bus



bus, imò & gentibus viâ sinistrâ templum eâ parte, quæ Christianis scriptoribus *Atrium gentium* vocari amat, intrarent, & sic circumeuntes viâ dextrâ exirent, cum reliqui viâ dextrâ ingrederentur, circumeuntes autem viâ sinistrâ egrederentur.

XXX. Sicuti verò dies separationis interveniente poenitentiâ & deprecatione decurtari poterant, ita si homo intra triginta illos dies non resipisceret, tempus ad poenitentiam datum duplicabatur, imò & pro re nata triplicabatur, ut spatium tantò amplius ad resipiscendum nancisceretur; quin imò pro re nata maledictio addebatur. Quam in rem Babyl. Moëd Katon ita: *Unde est, quòd schammatisamus? Inde quòd scriptum est, Maledicite Meroz, maledicendo maledicite habitatoribus ejus.* Judic. V. v. 23. Quòd si verò ne sic quidem poenitentia & emendatio subsequeretur, in detestationem facti homo durioris cervicis à reliquorum communiione penitus arcebat, omnique commercio humano ei interdiciebatur, velut exciso, donec resipisceret, neque licebat cum eo vel edere, vel bibere; solummodo hoc ei concedebatur, ut quæ ad vitum & amictum sibi essent necessaria, emere posset. Quòd si in hoc statu ante factam reconciliationem istiusmodi hominem contingeret mortem obire, non solum non lugebatur, sed & tumulus ejusdem lapidibus obruebatur. Vid. Selden. l. c. p. 534. Quæ separatio solennis erat, inque Synagoga publicabatur, atque ita non solum fiebat potestate civili, sed & Ecclesiasticâ. Atque hæc separatio vocatur שְׁמַת, habebatque gravissimas maledictiones, execrationes, dirasque horrendas ex lege Mosis collectas, inque reum congerendas conjunctas. Vocatur aliàs שְׁמַת מֵתָה, quod vel idem est, ac *Mors erit ibi*, quasi שְׁמַת מֵתָה *sham mitha*, aut *desolatio erit ibi*, quasi שְׁמַת תְּהָא *shammatis theha*, vel secundum Chaldaicam interpretationem, quæ tamen Seldeno non magnopere probatur, idem erit, quod שְׁמַת *shem*, *Nomen*, i. e. *Dominus venit*. Quandoquidem Judæi execrationes in hujusmodi excommunicatum congestas finiebant his vocibus: *Venit Dominus*; idque propter singularem effectum, quem comprobatione Dei, tanquam in procinctu stantis & ad judicium

dicium venientis, execratio illa sit habitura: siquidem supremus dies, quò unicuique reddetur secundum opera, vocatur *dies ira & patrefactionis iusti iudicii Dei*, Rom. II, v. 5. 6. vocatur etiam *dies adventus Domini*, I. Paral. XVI, v. 33. Matth. XXV, v. 13. Joh. XXI, v. 22. Epist. Jud. v. 14. 15. Atque sic חרם & שמתא idem sunt, quod Apostolo est ἀνάθεμα, Rom. IX, v. 3. Gal. I, v. 9. item ἀνάθεμα μαρὰν-ἀθά, sive ejusmodi ἀνάθεμα, cujus pronuntiationi solennis exclamatio, seu asseveratio sanctior, μαρὰν-ἀθά, per modum epiphonematis subjiciebatur, I. Cor. XVI, v. 22. Est autem vox conjuncta μαρὰν-ἀθά, Chaldaeo-Syra, & מרן idem est, ac Dominus, נתן idem est ac venit, advenit. De his separationis modis videndus est Dru-
sius Quæst. Hebraic. libr. I. Quæst. IX. Ludovicus Capellus in Spicilegio ad Joh. IX, v. 22. Buxtorffius Institut. Epistolari Hebraic. cap. VI, & in Lexico, in Radicibus חרם, נרה, שמת. Grotius Annot. super Lucae cap. VI, v. 22. Seldenus de Jure Nat. & Gent. juxta disciplin. Hebræor. libr. IV, cap. VI, VII, & seqq. Ligtfoot. Hor. Hebr. ad I. Cor. V, v. 5. Quistorp. Annot. ad I. Cor. XVI, v. 22. Quamvis autem Judæis hi separationis gradus in usu olim essent, non tamen semper per illos incedebant: siquidem Christi confessoribus non præcedente נירוי suum חרם interminabantur, Joh. IX, v. 22, 34. cap. XII, v. 42. cap. XVI, v. 2. Luc. VI, v. 22. at multò rectius Apostolus eum, qui non confitetur, nec amat Dominum Jesum Christum, vult esse ἀνάθεμα μαρὰν-ἀθά, I. Cor. XVI, v. 22. Imò fortè nec hodie Judæi amplius istos gradus adeò exactè observant, sed in reum excommunicandum statim diras execrationes evomunt.

XXXI. Ecclesia Synagogæ cum honore sepultæ succedens peccata hominum enormia & cum scandalo conjuncta itidem sic coercenda censuit, ut non eandem ipsis adhibuerit medicinam, sed jus à Servatore sibi datum ita usurpavit, ut gradus adhibuerit, & Excommunicationem aliam *minorem*, aliam *majorem* fecerit. Est verò Excommunicatio minor, quæ homo peccator ob scandalum Ecclesiæ datum à Sacramento-
rum, præcipuè S. Cœnæ, & communionem, iudiciò hujus rei
sive

sive privatim, sive publicè factò tamdiu arcetur, donec peccati abs se commissi magnitudinem agnoscens ad seriam pœnitentiam internam coram Deo agendam adducatur, nec non ejusdem signa in foro Ecclesiæ externo edat. *Major Excommunicatio* est, quando impœnitens & præfractus peccator totius alicujus sive particularis, sive universalis Ecclesiæ sententiâ non solùm à Sacramentorum communione, verùm etiam à consortio fidelium, tanquam putridum membrum segregatur, & denunciâtâ irâ divinâ *habetur tanquam ethnicus & publicanus*, imò *Satana traditur, ut agnitâ tandem improbitate spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi*, Matth. xii. v. 17. I. Cor. V. v. 5.

XXXII. Excommunicatio minor aliàs appellari solet *medicinalis*, item *pœnitentialis*, ἀφορισμός. Et qui hęc pactò excommunicati erant, voce Cypriano usitatâ, vocabatur *Abstenti*, quòd Episcoporum & Presbyterorum esset, hujusmodi peccatorem ab arctissima communione fidelium arcere ac *abstinere*. Excommunicatio autem major vocatur *lethalis*, ἀνάθεμα, estque ipsum ἀνάθεμα, de quo Apostolus agit Gal. I. v. 8. 9. aut *anathema maran-atha*, cujus mentio fit I. Cor. XVI. v. 22. Appellatio Excommunicationis *medicinalis* ac *lethalis* Augustino solet tribui, qui libr. 50. Homil. Homil. ult. ita inquit: *Nos verò quenquam à communione prohibere non possumus, quamvis hac prohibitio nondum MORTALIS sit, sed MEDICINALIS, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo sive seculari, sive Ecclesiastico judicio nominatum atque convictum.* Ideò autem prius Excommunicationis genus vocatur Excommunicatio *medicinalis*, quod per eam qui delicti & peccati alicujus rei, & vel ejus convicti, vel sponte sua id confessi erant, non quidem ab omni Ecclesiæ communione, sed tantùm à communione arctissima, quæ est Sacramentorum, præsertim Eucharistiæ, removerentur cùm ad medicinam, tum ad exemplum. Qua de re iterum Augustinus Epist. CIIIX. *Agunt etiam homines pœnitentiam, si post Baptismum ita peccaverint, ut excommunicari, postea reconciliari mereantur.* Et in libr. post Collat. contra Donatistas: *Neque enim à populo Dei separamus,*
quos

quos vel degradando vel excommunicando ad humiliorem poenitentiae locum redigimus. Posterior autem Excommunicatio ideò vocabatur *mortalis*, quia in eos statuebatur, qui per impoenitentiam suam reditu ad gratiam se indignos reddebant, atq; hōc ipsō aeternae mortis ac damnationis periculo semetipsos involvebant. Atque hōc Excommunicationis genere homo ab Ecclesia ita repellitur, quemadmodum Adamus ex Paradiso fuit pulsus; ceu Hieronymus in Hof. cap. II. loquitur. Chrysostomus Homil. xvi. in Epist. ad Rom. hanc in rem ita: *Quemadmodum ad anathema, hoc est, donum Deo dicatum ob reverentiam nemo manus admovere, neq; propius accedere audebat; sic è contrario, qui ab Ecclesia abscissus erat, ab eo, tanquam à Deo ab alienato ob execrationem omnes separabantur.* Et S. Cyprianus Epist. IV. *Interfici iussit Deus sacerdotibus suis non obtemperantes, iudicibus à se ad tempus constitutis non obedientes; sed tunc quidem gladiò occidebantur, quando adhuc & circumcisio carnalis manebat; nunc autem quia circumcisio spiritualis esse apud fideles Dei servos coepit, spirituali gladiò superbi & contumaces necantur, dum de Ecclesia ejiciuntur.*

XXXIII. De Abstentis clara sunt loca apud S. Cyprianum. In Epistola ad Pomponium, quæ in Edit. Johannis Oxoniensis Episcopi quarta est, ad servandam disciplinam hortatur, inter alia inquit: *Scias, nos ab Evangelicis & Apostolicis traditionibus non recedere, quò minus --- Ecclesiastica disciplina servetur, --- Disciplinam qui abjicit, infelix est, & in Psalmis quoq; Spiritus Sanctus admoneat & instruat, dicens: Continete disciplinam, --- Et cum omnes omninò disciplinam tenere oporteat, multò magis Praepositos & Diaconos curare hoc fas est, --- Idcirco consultè & cum vigore fecisti, frater charissime, ABSTINENDO Diaconum, qui cum virgine saepe mansit, sed & ceteros, qui cum virginibus dormire consueverunt. Quod verò hæc Abstentio non sit postremus sive ultimus censuræ ac disciplinæ Ecclesiasticæ gradus, ex sequentibus verbis patet, quibus Pomponium ita instruit: *Quod si poenitentiam hujus illi citi concubitus sui egerint, & à se invicem recesserint, si virgines inventæ fuerint, acceptà communicatione ad Ecclesiam admittantur; hæc tamen interminatione, ut si ad eosdem masculos postmodum reversæ fuerint, aut si cum eisdem in una domo &**

D

sub

sub eodem tecto simul habitaverint, graviore censurâ ejiciantur, nec in Ecclesiam facile postmodum recipiantur. Idem Epist. III. ad Rogatianum : Oportet Diaconum, de quo scribis, agere audacia sua poenitentiam, & honorem sacerdotis agnoscere, & Episcopo suo plenâ humilitate satisfacere. --- Quod si ultra te contumeliis suis exacerbaverit & provocaverit, fungeris circa eum potestate honoris tui, ut eum vel deponas, vel *ABSTINEAS*. ---- Et quoniam scripsisti, quendam cum eodem Diacono tuo se miscuisse, & superbia ejus atque audacie participem esse, hunc quoque & si qui alii tales extiterint, & contra sacerdotem Dei fecerint, vel coërcere poteris, vel *ABSTINERE*.

XXXIV. S. Cyprianus de Diacono delinquente agens, Rogatiano liberum relinquit, an peccantem velit *abstinere*, an verò aliâ ratione *coërcere*. Quemnam verò coërcitionis modum respiciat, ex antecedentibus verbis apparet, dum inquit: *ut eum vel Deponas, vel Abstineas*. Observandum enim, quòd nonnulla sint coërcitionum genera, quæ in Clericis quidem delinquentibus locum inveniunt, in Laicis autem non item; sunt & coërcitionum genera, quæ in Clericos peccantes æquè adhiberi possunt, quàm in Laicos. Ita Ecclesia Laicos vel *abstentione*, vel *excommunicatione* potest coërcere, ad puniendos autem Clericos præter abstentionem & excommunicationem facere potest *Depositio*, quæ in Laicis locum non habet. Ideoque interdum fit, ut unum poenæ genus sufficiat, neque semper utrumque sit adhibendum. Quamvis enim si Clericus Excommunicationem, præsertim majorem, judiciò Ecclesiæ incurrat, in Clero manere non possit, contingere tamen potest, ut quamvis Ordine mereatur dejici, non tamen propterea omnis omninò sacra communio ei sit deneganda, ne poenæ duplicatæ magnitudo delicti magnitudinem, in eo præsertim qui poenitentiam ducitur, excedat. Ecclesia quidem neminem delicta sua agnoscentem iisdemque indolentem à se repellit, non tamen statim eum in Clero relinquit. Atque hinc sufficere judicatur *Depositio* Clericorum, quæ poenæ quidem rationem habet, & ab Ecclesia irrogatur, prout ea judicium externum repræsentat, censura tamen non est, quæ in
ani-

animum aliquid operetur, quandoquidem ex potestate merè temporali ortum habet; ceu existimat M.A. de Dominis libr. V. de Republ. Eccles. cap. ix. num. V. & IX.

XXXV. Ut hæc clariùs cognoscantur, adducendus est Canon Apostolorum xxxi. qui sancit, Presbyterum contemtò Episcopò peculiare conventus, in quo sacra fiant, instituentem esse *deponendum*, Laicos autem huic Presbytero adhaerentes *ab Ecclesia societate esse pellendos*; fieri tamen hæc debere post unam, alteram, imò tertiam Episcopi admonitionem. Vid. Zonaras in hunc Canonem. Hinc & Concilium Rotomagiense apud Regin. Prumiens. libr. II. de Discipl. Eccles. num. 406. inquit: *Unde Laici excommunicantur, inde Presbyteri ab officio altaris removentur. Scilicet pro tanto habetur sacerdotem ab officio remove, pro quanto Laicum à communione cessare*; inquit adductum Concilium Rotomagiense apud Reginonem Prumiensem l. c. Quòd si itaque Clerici ob delictum quodcunq; excommunicarentur, contingeret illos ob unum & simplex delictum duplici affici poenâ, hòc ipsò, quòd Clericorum excommunicatio eorundem quoque depositionem habeat conjunctam. Duplici autem poenâ pro simplici delicto aliquem affligi ex Nahum I. v. 9. iniquum esse censet Canon Apostol. xxv. qui ita habet: *Episcopus aut Presbyter, aut Diaconus in scortatione, vel perjurio, vel furto deprehensus, ordine suo summoveatur: ab Ecclesia tamen non excludatur. Dicit enim Scriptura: Bis ultionem de eodem non sumes. Eòdem modò & alii Clerici.* Adducit quoque hunc Canonem Rabanus Maurus in Epistola ad Heribaldum cap. x. Similis est Canon Basilii M. in Epist. Canon. ad Amphilocho. Canone xxxii. *Qui peccatum ad mortem peccant Clerici (h. e. exponente Balsamone, qui crimen, quod juxta leges capitale est, committunt,) de gradu quidem dejiciuntur, communionem autem laicorum non arcentur, (si nempe sententiæ paruerint; ut iterum addit Balsamo:) Non enim bis vindicabis ipsum.* Ad Canonem Apostolicum citatum addit Zonaras: *Sunt tamen & alia delicta, de quibus convicti simul & ordine moventur, & à consortio fidelium separantur Clerici: ut qui pecuniâ principisve potestate pontificatum sibi vindicant.* Ita enim in sequ. Ca-

none Apostol. xxx. legitur: *Si quis Episcopus Principum potentatumq; mundi favore fuerit Ecclesiam consecutus, deponitur, & excommunicator, & omnes cum eo communicantes.* Idem procedit quoque de Clericis, qui in hæresin prolabebantur, eandemque pertinaciter tuebantur & propagabant, quippe qui non solum officii dignitate, verum etiam Fidelium communionem excidebant. *Hæresium enim scelera majori animadversione sunt digna;* inquit Balsamo ad Basilii M. Epistolam Canonicam ad Amphiloichium Canon. xxii. Sicuti & Synodus Neocæsariensis Can. I. statuit, *presbyterum, qui fornicatus fuerit, vel adulterium commiserit, extra Ecclesiam esse abjiciendum, & ad pœnitentiam inter Laicos redigendum.*

XXXVI. Admonent hæc omnia de eo, quod si Clericus ita peccaverit, ut depositionem quidem, non tamen simul excommunicationem promeritus fuerit, illum ipsum quidem ad privatam tantum pœnitentiam coram Deo in Ecclesia agendam fuisse remissum, publicam tamen pœnitentiam ei non fuisse injunctam, multò minus eam, quæ solennis esset. Atque hæc peractâ ad Communionem quidem rursus admittebatur, non tamen *Clericorum*, sed tantum *Laicorum*. Quod si delictum minus foret, Clerico delinquenti injungebatur *Communitio Peregrinorum*, cujus mentio fit in Concilio Agathensi Canon. II. & V. nec non in Concilio Ilerdensi Canone xvi. Mittebatur itaque hujusmodi Clericus delinquens ad aliam Ecclesiam, & ibi Communionem quidem inter Clericos, sed eò locò, quò peregrinantes cum *litteris pacificis*, (uti in Canon. VII. Concil. Antiocheni vocantur,) venientes solebant, fruebatur, & quidem tamdiu, donec suæ Ecclesiæ restitueretur. Quod si verò tantum esset Clerici delictum, ut sola depositio ei expiando non sufficeret, sed excommunicatio insuper accedere deberet, non quidem omnis spes ad Ecclesiam revertendi ei erat præcisa, interim tamen ad Ecclesiam reversurus ad pœnitentiam publicam prius redigebatur, eâ verò peractâ communioni quidem, sed Laicorum adscribebatur. Sic de Diacono criminis capitalis reo, ac nihilominus se ordinari permittente in Concil. Eliberit. can. 76. sancitur, eum,

eum, si ultrò crimen confessus fuerit, *actâ legitimâ pœnitentiâ post triennium recipere posse laicam communionem. Quòd si verò alius crimen detexerit, eum post quinquennium actâ pœnitentiâ accipere communionem Laicam debere.* De Communione cùm Laicorum, tùm Peregrinorum eruditus B. D. Henrici Rixneri Tractatus consuli meretur. Depositione minor & mitior pœna est *Suspensio*, cùm quis in ordine quidem manens, juxta alios tamen ministerii munera obire ad tempus prohibetur. Vid. de his Lancellottus Institt. Jur. Canon. libr. iv. Tit. xii. & xv.

XXXVII. Sed hæc *ὡς ἐν παρόδῳ*. Ad Cyprianum revertentes ulterius in eo observamus, quòd non solum Pomponium & Rogatianum instruxerit, quomodo se gerere debeant in *abstinendis* Diaconis Episcopo insultantibus, sed & quòd non dissimulaverit, qua ratione ipsemet in sua Ecclesia nonnullos *abstinuerit*, Epist. XLII, ita scribens: *Abstinuimus communicatione Felicissimum & Augustinum, item Repostum de extorribus, h. e. de iis, qui propter nomen Christi vel sponte susceperant exilium, vel in illud acti erant, & Irenen Rutilorum (h. e. ex martyribus, qui floridi, rutili, & ruffati dicebantur,) & Paulam sarcinatricem. --- Item abstinuimus Sophronium, & ipsum de extorribus Soliassum Budinarium, sive ut alii legunt: burdonarium, i. e. mulionem. Felicissimi iterum mentionem facit in Epist. LIX. & in Cornelio, Episcopo Romano, probat, quòd hunc hostem Christi ob crimina sua plurima jam pridem ABSTENTUM in peccatis autem perseverantem ac contumacem Ecclesiasticâ disciplinâ & sacerdotali vigore, quò Episcopus agere oportet, plurimorum Coepiscoporum sententiâ condemnatum de Ecclesia pepulerit, h. e. excommunicationis majoris fulmen in eum vibrârit, ne schismatis & disidii autor, ne pecunia sibi commissa fraudator, ne stuprator virginum, ne matrimoniorum multorum depopulator atque corruptor, ultra adhuc sponsam Christi incorruptam, sanctam, pudicam, presentia sua dedecore, & impudicâ atque incestâ contagione violaret. Repetit etiam, Fortunatum esse unum ex quinq; Presbyteris, jam pridem de Ecclesia profugis, & sententiâ Coepiscoporum multorum & gravissimorum virorum nuper abstentis; nec non Felicissimum, signiferum seditionis non tantum in Africa esse abstentum, sed & nuper*

D 3

Romæ

Romæ prorsus *de Ecclesia pulsum*. Epist. LXIIX, mentionem facit *Novatiani olim abstenti* ab Ecclesia Carthaginensi, quippe à qua *hostis Ecclesie* sit judicatus, deinceps verò penitens ab Ecclesia Catholica retusi & refutati *per totum orbem à sacerdotibus Dei abstenti*. Quod itaque circa Novatianum in una particulari Carthaginensium Ecclesia rectè erat factum, id à reliquis quoque Ecclesiis particularibus, atque ita tandem à tota Ecclesia Catholica ratum habebatur, & quidem ita, ut Novatiani abstentio propter magnam ejus pertinaciam tandem in majorem excommunicationem degeneraret. *Optabat quidem Novatianus ad communicationem Cypriani & Ecclesie Africane iterum admitti*, sed non aliter id ipsum fieri posse Cyprianus ei significavit, quàm *si respiscere & ad sana mentis consilium redire vellet, ageret pœnitentiam, & ad Ecclesiam simplex rediret*. Mentionem etiam facit ibidem *Marciani abstenti*, rogatque Cornelium, Romanum Episcopum, ut literis Arelaten in Provinciam datis hoc agat, *ut in locum ejus alius substituatur*.

XXXIIX. Cypriano jungimus nonnullos Canones Concilii Eliberi in Hispania (quæ sedes Granatam deinceps fuit translata,) annò 305. congregati. Canon XVI. sancit, puellas catholicas infidelibus connubiò se jungentes *per quinquennium esse ABSTINENDAS*. Conf. Concil. Arelatenf. I. Can. XI. Canon. XXXVII. Concilii Eliberitani sancit, eos, qui *lucernas publicè in festis gentilium accenderint, à communione abstinere debere*. Canon LIV. parentes fidem sponsaliorum à filio vel filia initorum frangentes *triennii tempore à communione jubet abstinere*. Canon LXI. notatu dignus est: *Si quis post obitum uxoris sue sororem ejus duxerit, & ipsa fuerit fidelis, quinquennium à communione placuit abstinere; nisi fortè dari pacem velocius necessitas coegerit*. Atque id quidem de Laicis est constitutum; quòd si verò Clericus defunctæ uxoris sororem in matrimonium duxerit, eum Canones, vulgò Apostolici dicti, è Clero arcent indeq; deturbant. Ita enim Canon Apost. XIX. sese habet: *Qui duas sorores (unam post alteram) in conjugio acceperit, vel filiam fratris, Clericus esse non poterit*. Sed revertamur ad Concilium Eliberitanum: Ejus Canone LXXIV. determinatur, quò usque & quam-

quamdiu falsus testis sit *abstinendus*. Scilicet pro criminis diversitate nunc per biennium, nunc per quinquennium. Canon LXXIX. aleatores *abstinet*, ita tamen, ut si emendati cessaverint, post annum *communione reconciliari* possint. Illustrationis gratiâ accedant nonnulla ex Concilii Arelatensis I. annô Christi 314. coacti decretis. Canone III. de iis, qui *in pace* Ecclesiæ & sedatis persecutionum procellis jubentibus Imperatoribus *arma* non sumunt, sed potius *projiciunt*, ex ea superstitione, quòd militiam sequi ex se sit illicitum, statuitur, quòd *abstinendi sint à communione*. Canon XII. *ministros, qui scenerantur, juxta formam divinitus datam à communione abstinet*.

XXXIX. Ex quibus omnibus patet, *Abstinere* idem esse, atque *à communione arcere, à communione separare, communione privare*, uti constat ex Concilii Eliberitani Canone xxxiv. & xl. & Concilii Arelatensis primi Can. IV. & V. quibus *agitatores & theatrici, quamdiu agitant, vel agunt, à communione separantur*. Similem locutionem usurpat Canon, qui inter Apostolicos vulgò est decimus: Ita enim sanxit: *Omnes fideles, qui ingrediuntur Ecclesiam & Scripturas audiunt, non autem perseverant in oratione, nec sanctam communionem percipiunt, velut inquietudines Ecclesiam commoventes convenit communione privari*. Cui Canonis similis est Concilii Carthaginensis quarti annô 398. celebrati Canon xxiv, quem supra jam tum adduximus, ubi sic decernitur: *Sacerdote verbum faciente in Ecclesia, qui egressus de auditorio fuerit, excommunicetur*. Quamvis verò Excommunicatione absolute & sine addito usurpata in Canonibus ut plurimum Excommunicationem majorem soleat designare, interdum tamen, quamvis rariùs, minorem quoque sive *abstentionem* designat, uti vel ex solo hoc canone apparet.

XL. Hoc ipsum verò ut amplius intelligatur, sciendum est, duplicem potissimum esse rationem Communio- nis, ad quam homines vel admittuntur, vel à qua excluduntur. Altera est qualecunque jus communionis & societatis Christianæ; quâ qui donatus erat, Ecclesiæ, tanquam corpori Christi, agglutinatus censebatur; qui eâ excidebat, pro membro Ecclesiæ non amplius habebatur, sed si hætenus fuerit
in

in Ecclesia, inde tamen fugatus, pulsus & *abjectus* habebatur. *Abjectionis* hujus mentionem facit Canon V. Concilii Nicæni. Altera communio in eo consistebat, ut qui ejus jus haberet, ad S. Eucharistiæ perceptionem unâ cum reliquis fidelibus admitteretur. Et qui in hac communiōe erant, ab iis recipiebantur oblationes, pro iis etiam preces fiebant, ac nomina eorum in precibus exprimebantur. Hæc communiō est *maxima*, imò *arctissima*, plena & absolutissima, item *omnimoda*, prout in Canone xiv. Concilii Arausicani primi appellatur. Qui enim hâc gaudebat, Ecclesiæ & corpori Christi quoque agglutinatus censebatur, adeoque in communiōe quoque priori ratione spectatâ erat. At non vice versâ qui in communiōe priori ratione erant, statim quoque ad *omnimodam* & *arctissimam* admittebantur, uti pœnitentium, eorum præsertim, qui ad quartum pœnitentiæ gradum, qui *συστασις* est, pervenerant, Catechumenorum, Peregrinorum sine literis communicatoriis oberrantium exempla confirmant. *Sunt & pœnitentes in membris Ecclesiæ: non enim separati & exclusi sunt ab Ecclesiâ ejus*; inquit Augustinus in Psalm CI. Pariter si quis communiōe prioris generis exciderat, ille quoque excidebat *arctissima* illa & *omnimoda* communiōe, eratq; *abjectus*, quæ vox in Concilii Nicæni Can. V. habetur; qui verò communiōe *arctissima* & *omnimoda* privabatur, non statim propterea quoque altera communiōe; quæ latior erat, exuebatur. Et quoties hoc fiebat, homo dicebatur *Abstentus*. Vid. Albaspin. in Nott. ad Concil. Eliberit. Can. xxix. & xxxvii. nec non in Nott. ad Can. xiv. Concil. Arausicani primi. *Abstineri* Augustino libr. xi. de Genes. ad lit. est, *à sacramentis altaris visibilibus censurâ Ecclesiæ removeri*. Excommunicari verò eidem in Enchiridio cap. lxxv. est *à corpore Christi separari*; juxta Can. Apostol. xvi. *à communiōe omninò abscindi*; juxta Concil. Laodic. Can. xxvi. *projici ex Ecclesiâ*. Abstentioni opponitur *Reconciliatio & Restitutio orationis*; quando verò Abstenti, imò & *abjecti* post præstitas satisfactiones canonicas iterum ad *omnimodam* communiōem admittebantur, dicebantur *Communiōnem accipere, & Pacem consequi*; ut patet ex Concilii Eliberitani

tani Can. XLVI. LXI. & LXXIX. Benè iterum Albaspinæus in Nott. ad Concil. Eliberit. Can. XLVII. *Communio, Communio pacis, Communio fraternitatis, simplex (& absoluta) reconciliatio, & similia, sunt ejusdem significationis, eundemque effectum denotant.*

XL. Consideratio specialis adductorum & plurium aliorum Ecclesiæ primitivæ Canonum in memoriam nobis revocat ea, quæ suprâ jam tum §. X. monuimus, causam videlicet abstentionis in genere quidem esse peccatum, non tamen semper ejusmodi peccatum, quod immediatè contra legem naturæ, aut divinam positivam est commissum, sed interdum abstentioni causam præbuisse legum ab Ecclesiasticarum violationem. Neque hoc immeritò: siquidem ubi læsio, & per eam inæqualitas fuit orta, ibi ortam istiusmodi inæqualitatem etiam corrigi oportet. Fit autem inæqualitatis correctio partim detrahendo ei, qui plus habet, idque addendo illi, qui minus habet; vel si actus uterque locum non invenit, in sola detractioe ejus, quod plus est, acquiescendum est, ut vel saltem hęc pactò ad æqualitatem reducantur, qui per læsionem facti sunt inæquales; uti hoc præclarè docet Aristoteles V. Eth. cap. IV. Læsa itaque Ecclesiæ propter legis non solum divinæ in eadem vigentis, sed & Ecclesiasticæ violationem fit satis per illam rei si non à totali, saltem à maxima & arctissima fidelium communionem abstentionem, nunc limitatam & certo tempori adstrictam, nunc illimitatam, donec pœnitentia & satisfactio superveniat.

XLII. Satis indicavimus, quinam dicantur *Abstenti?* si nimirum, qui minore Excommunicatione fuerunt innodati. Sicuti verò excommunicationem minorem sive abstentionem ab excommunicatione majore sive ab anathemate graduum diversitas sejungit, ita pariter circa abstentionem hoc observandum, quòd quamvis omnes, quos ferit, à sacra communione, eâ quidem quæ maxima est & arctissima, ad tempus submoveat atque ab eadem suspendat, ratione tamen rigoris quoad satisfactionem, & ratione temporis, per quod communione carendum, erat variatio, vel in Canonum determinatione, vel in ratione delicti secundum cir-

E cum-

cumstantias spectati, vel in ipso hominis delinquentis animo, prout ad poenitentiam externam agendam nunc faciliorem & promptiorem, nunc verò difficiliorem se præbuit, quærenda. Illustrabimus hæc Canonibus Apostolicis XII. & XIII. qui ita sanciant: *Si quis Clericus aut Laicus à communione suspensus, sed communicans ad aliam properet civitatem, & suscipiatur præter commendatitias (συστατάς) literas: & qui susceperunt, & qui susceptus est, communione priventur. Excommunicata verò proleletur (acuatur, imò intendatur & longior fiat) ipsa correptio, tanquam qui mentitus sit, & Ecclesiam Dei seduxerit.*

XLIII. Et in hoc quoque Abstentio differt ab *Anathemate*: Qui enim majore excommunicatione erant mulctati, horum exclusio & ab Ecclesiæ communionem submotio ad certos annos non poterat facilè restringi: quandoquidem illa non irrogabatur cuiquam, nisi enormi flagitiò commaculato, & de quo non facilè quis augurari poterat, an censuram istam ad sui emendationem esset conversurus, & quàm citò meliorem mentem esset induturus. Simul ac verò animus ad poenitentiam se flecti siverit, tantum abest, ut Ecclesia homini istiusmodi reditum ad sacram communionem præcluserit, ut potiùs viam ad poenitentiam ipsi aperuerit, cujus tamen rigorem ita constituit, ut pro delicti commissi & scandali dati magnitudine, nec non pro magnitudine doloris, quem reus præ se ferebat, tempus poenitentiae nunc pluribus, nunc paucioribus annis determinârit. Siquidem nonnullis post septem, aliis post decem, nonnullis post triginta annorum poenitentiam actam demum communicatio reddebatur; aliis non nisi in fine vitæ; nonnullis ne in fine quidem vitæ communicatio reddebatur, sed in perpetuâ poenitentia detinebantur, ceu ex Concilii Eliberitani Canonibus satis notum est; quem rigorem tamen Concilium Nicænum Can. XIII. temperavit, voluitque, ut *universaliter & circunquæ in exitu posito & communionis participationem petenti, Episcopus cum exploratione det communionem.*

XLIV. Quamvis verò ex dictis satis constare possit, quomodo Excommunicatio minor ad majorem sese habeat, sunt

sunt tamen adhuc aliæ rationes, quibus utriusque differenti-
am licet explicare. Quas inter hæc quoque haud postrema
est, quòd Excommunicatio minor ad hominis peccatoris e-
mendationem, cuius spem adhuc habet reliquam, proximè
sit directa, adeoque faciat ad hominem purgandum eumque
à reatu pœnæ liberandum; at verò major Excommunicatio
homines magnæ perversitatis, quorumque pœnitentiam vel
difficilem, vel non ita propinquam fore Ecclesia judiciò suò
deprehendit, feriens salutem & conservationem Ecclesiæ re-
spicit, ut ea ab huiusmodi inutili membro purgetur. Quem-
admodum si partem corporis humani gangræna occupa-
verit,

Ense recidendum est prius insanabile vulnus,

ne pars sincera trahatur;

ita etiam membrum Ecclesiæ, quod putridum est factum, re-
secandum potius & amovendum est, ne *gangræna* per reli-
quum corpus serpens illud *depascat*, II. Tim. II. v. 17. *Expurgat*
prius fermentum, quàm illud *totam innocuam massam incipiat*
fermentare, quâ similitudine utitur Apostolus I. Cor. V. v. 6.
Benè M. A. de Dominis lib. V. de Rep. Eccl. cap. IX. num. 14.
Excommunicatione minore hominem ligat Ecclesia ad hoc, ut eum à
peccatis prius purget, deinde solvat: Excommunicatione majore ho-
minem ligat, ut ligatum, quantum ex parte Ecclesia est, projiciat in
tenebras, & sic purget, non illum amplius, qui purgari noluit, sed se
ipsam, quando citra periculum schismatis id facere potest.

XLV. Porro minore Excommunicatione, ceu jam
tùm monuimus, homo non ab omni consortio & societate
fidelium excluditur, nec à corpore Christi penitus resecatur,
sed eidem adhuc sic adhæret, ut ad preces publicas admitta-
tur, imò & Ecclesia pro huiusmodi homine orat. At verò
qui majore Excommunicatione est percussus, præsertim si
illud clave non errante factum, à corpore Christi penitus a-
vellitur, & ab omni communione exuitur, atque ita ab omni
fidelium cœtu segregatus non amplius pro fratre habetur, sed
potius *habetur tanquam ethnicus & publicanus*, Matth. XIX. v. 17.
Quin imò *Satane traditur ad interitum carnis, ut discat non blas-*

E 2

phema.

phemare, imò peccata sua ac scandali per illud dati magnitudinem agnoscere, detestari atque sic ad veram pœnitentiam, quâ macula illa eluatur, se componere, ut spiritus salvus sit in die ille Domini Jesu. 1. Tim. I. v. 20. I. Cor. V. v. 5.

XLVI. Benè iterum M. A. de Dominis l. c. inquit: Per priorem (minorem) excommunicationem amovetur excommunicatus ad minimum, in secreta præsertim pœnitentiâ, à sacra tantummodo mensa, sæpe etiam in publicis pœnitentiis, à sacris conventibus, à publicis precibus, à sacris templorum cancellis, non tamen à corpore Ecclesie præscinditur, imò in eo manet; & pro talibus orat Ecclesia, & illi se perpetuò fidelibus commendant, neque à reliqua communione cum fidelibus abjiciuntur. Secus contingit in anathematizatis. Anathematis enim seu hujus majoris excommunicationis effectus primus & gravissimus est, quòd illa, si clave non errante fiat, præscindit hominem à corpore Christi, quod est Ecclesia; qui autem non est in corpore Christi, neque influxum habet à capite, neque participat de Spiritu Christi; ut ait Augustinus Tract. XXVII. in Johann. & Gregor. in Psalm. V. pœnitent. init. Et de hac Excommunicatione tantum intelliguntur illa verba Christi: Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus; ut videlicet peccator gravis & scandalosus, notorius & accusatus & convictus, si correptus publicè in sacris conventibus ab Episcopo, post privatas sine fructu correptiones humiliari nolit, & pœnitentiæ Ecclesiasticæ se subjicere, sed maneat incorrigibilis, & in peccatis suis scandalosis perseveraverit, tùm anathemate sit feriendus, & à corpore Ecclesie separandus, nec amplius pro fratre & Christiano habendus. Et hoc ratum se habiturum Christus statim pollicitus est: Quæcunque enim alligaveritis super terram, erunt ligata in cœlo. Ad hæc verò consequenter se habet, ut iste sic ligatus separatus à corpore Christi, publicarum precum & oblationum particeps non sit, nec capax aut habilis maneat ad ea dona supernaturalia & spiritualia recipienda, quæ liberali manu filiis Ecclesie, per ejusdem Ecclesie intercessionem Deus è cœlo depluit. Fit etiam consequenter, ut tantò clypeò destitutus jam totus in hostis potestatem transeat, ac etiam à Diabolo possideatur, quod multi Sancti in illis Pauli verbis: Tradere Satanæ; intellexerunt. Hilar. in Psalm. CXIX. v. Feci judicium. Et Chrysoptom. in I. Timoth. Homil. V. & alii

II. Quæst. 3. cap. 2.

XLVII

XLVII. Denique majorem Excommunicationem hujusmodi sequuntur effectus, quos minor Excommunicatio secum non trahit. Præterquam enim quòd anathematizatus omnibus externis beneficiis Ecclesiæ excidat, & per consequens alienus quoque fiat ab internis beneficiis, quæ non nisi in Ecclesia dispensantur, atque vivis ejusdem membris à Deo conceduntur, excidit etiam officiis Christianorum spiritualibus, quæ hi ipsi tanquam fratres, unum Patrem in cœlis, nempe Deum, & unam matrem in terra, nempe Ecclesiam, habentes sibi invicem ex Christiana charitate præstare solent. Sunt & adhuc alia officia, quorum præstatione anathematizatus solet excidere. Quorum tamen cum non sit eadem ratio, officia dispescenda sunt ita, ut alia hominibus in societate debeantur vel jure naturali, vel jure gentium, vel jure civili, alia verò sint officia ex se libera, nec ullò jure determinata. Quamvis autem anathematizatus non excidat prioris generis officiis: qui enim jus Ecclesiæ amittit, ille non statim amittit jus societatis civilis; neq; amittit jus societatum naturalium, quæ civilem tanquam primæ partes constituunt; multò minùs ex societate hominù universali, in qua homines spectantur ut homines, deturbatur; Unde uxor non tenetur à marito anathematizato divortium facere, nec filii patri excommunicato honorem & obedientiam subtrahere, nec emtiones & venditiones eidem prohibentur, neque in arte, quâ victum & amictum sibi quærit, impeditur; excidit tamen officiis quibusdam liberis ad societatem & amicitiam liberam, quæ Arist. II. Eth. XII. §. 2. & 3. vocatur amicitia *ἑταιρική καὶ κατ' ὁμολογίαν*, spectantibus; quæ officia hòc versiculò solent comprehendi:

Os, Orare, Vale, Communio, Mensa negatur.

XLIX. Et quidem hujusmodi liberorum officiorum denegatio non solum latet in verbis Servatoris dicentis: *Sit tibi sicut quispiam ethnicus & paganus*, Matth. XII. v. 17. atq; ita suò modò est juris divini, verùm etiam *διατάξει* Apostolicæ est stabilita & ulterius declarata, ipsorum etiam discipulorum Domini, quin & primitivæ Ecclesiæ *πράξει* confirmata. Apostolos quod attinet, notum est, quod Paulus Tito

E 3

præ.

præcipit, ut hæreticum hominem post unam atque alteram admonitionem devitet, fugiat, & missum faciat. Tit. III. v. 10. Et alibi inquit: Denunciamus vobis, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut subducatis vos ab omni fratre inordinate incedente & non ex tradita doctrina, quam accepit à nobis. --- Quod si quis non auscultat nostro per epistolam sermone, hunc notate: & ne commercium habete cum eo, ut eum pudeat. II. Thess. III. v. 6. 14. Et rursus: Scripsi vobis in epistola, ne commisceamini cum scortatoribus, --- Nunc autem scripsi vobis, ne commisceamini: si quis enim frater nominetur (fratris nomine gaudere velit,) & tamen sit scortator, aut avarus, aut idololatra, aut convitiator, aut obriosus, aut rapax, elatâ manu absque spe emendationis hæc flagitia perpetrans, cum ejusmodi homine ne cibum quidem sumite. I. Cor. V. v. 9. 11. Clarissime S. Johannes II. Epist. y. 10. 11. Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, ne recipite eum in domum, nec Ave ei dicite: qui enim dicit illi Ave, communicat operibus ejus malis. Prævit ea in re sanctis omnibus suo exemplô Divus Johannes. Cum enim lavandi gratiâ aliquando balneum esset ingressus, & Cerinthum hæreticum, acerrimum divinitatis Christi oppugnatorem, ibidem conspicaretur, actutum pedem inde retraxit, ac foras profugit, nolens sub eodem cum illo tecto degere; idque ipsum iis, quos secum adduxerat, significavit, dicens: Fugiamus hinc, ne & balneum corruat, in quo est Cerinthus veritatis hostis. Quam traditionem à Polycarpo acceptam Irenæus conservavit, literis autem consignavit Eusebius libr. III. Histor. Eccl. cap. XXIX.

XLIX. Praxin Ecclesiæ Christianæ quod attinet, de ea plurimi Canones luculenter testantur, ex quibus simul apparet, quid circa Excommunicationem juri divino quoad circumstantias, præcipue autem quoad rigorem per jus humanum atque Ecclesiasticum fuerit superadditum. Allegavimus aliquoties Canones, qui Apostolici vulgò vocantur. Hi etsi dubia sint autoritatis, nec ipsos Apostolos autores habeant, antiqui tamen sunt, & ad seculi II. ætatem minimum accedunt, continent tamen aliqua non inutilia de antiqua forma gubernationis in Ecclesiâ, ut non malè de iis judicat B. Chemnitius in erudita

Oratio.



Oratione de Iectione Patrum parti I. Locor. Comm. præmis-
sâ. Ex iis Constitutionibus hâc vice tantum proferemus Ca-
nonem II. qui talis est: *Si quis cum excommunicato saltem in domo
locutus fuerit, vel oraverit, iste communione privetur.* Concilium
Laodicenum circa annum 321. coactum Canone XXXIII. ita
sancit: *Non oportet cum hæreticis & schismaticis orare.* Concilii
Antiocheni annô 340. celebrati Canon II. hanc in rem ita se-
se habet: *Cum excommunicatis non licet communicare, nec cum
his, qui per domos conveniunt, devitantes orationes Ecclesie, simul
orandum est; ab alia Ecclesia non est suscipiendus, qui in alia minimè
congregatur. Siquis autem de Episcopis & Presbyteris, vel Diaconis, seu
quolibet ex clero deprehensus fuerit cū excommunicatis communicare,
etiam iste privetur communione, tanquam qui regulam confundat
Ecclesie.* Concilium Carthaginense quartum Canone LXXIII.
ita statuit: *Qui communicaverit vel oraverit cum excommunicato,
sive clericus, sive laicus, excommunicetur.* In his Canonibus pro-
hibetur, ne quis cum excommunicatis veniat in participa-
tionem & consociationem orationis.

L. De cibo cum excommunicatis non sumendo ex-
tant quoque Canones Ecclesie, in specie sub qua pœna Cle-
rici à convivio cum hæreticis, sicuti Laici à convivio cum
Judæis arceantur, videre est in Canone XV. Concilii Epau-
nensis: *Si superioris loci Clericus hæretici cujuscunque convivio in-
terfuerit, anni spatiò pacem Ecclesie non habebit. Quod si juniores
Clerici presumpserint, vapulabunt. A Judæorum vero conviviiis etiam
Laicos Constitutio nostra prohibuit: nec cum ullo Clerico nostro panem
comedat, quisquis in Judæorum fuerit convivio inquinatus.* Con-
cilii Antisiodorensis Canon XXXIIX. ita sancit: *Non licet
cum excommunicato communicare, nec cum eo cibum sumere.* Se-
quens Canon XXXIX. itidem decernit, quomodo erga ex-
communicatos quis gerere sese debeat: *Si quis presbyter aut
quilibet de clero, aut de populo excommunicatum, absque voluntate
ipsius, qui eum excommunicavit, sciens receperit, aut cum illo panem
manducaverit, vel colloquium habere decreverit, simili sententia sub-
jacebit.* Regino Prumiensis libr. II. de Discipl. Eccl. num. 392.
ex Isidoro hanc allegat constitutionem: *Cum excommunicato
neque*

neque orare, neque loqui, neque vesci cuiquam licet. Similes constitutiones ibidem num. 391. 393. & seqq. leguntur.

LI. Idem Regino Prumiensis l. c. num. 409. adducit formulam Excommunicationis, cui subicitur ratio, quâ Episcopus plebi ipsam excommunicationis formulam ejusq; externos ritus debeat explicare, & quidem eò fine, ut omnes intelligant, --- qui excommunicato quasi Christiano communicaverit, aut cum eo manducaverit, aut biberit, aut eum osculatus fuerit, vel cum eo colloquium habuerit, nisi forte ad satisfactionem & pœnitentiam eum provocare studuerit, aut in domo sua eum receperit, aut simul cum eo oraverit, procul dubio similiter sit excommunicandus. Sequenti num. 411. alia affertur formula excommunicationis, quâ interdicitur, ut nullus Christianus excommunicato Ave dicat, aut eum osculari presumat; --- ut nemo ei jungatur in consortio, neque in aliquo negotio. Id ipsum verò ibi sub simili Excommunicationis pœna interdicitur. Unde non malè Gabriel Albaspinæus Observ. Eccles. libr. I. Observ. I. num. 2. ita scribit: Excommunicati non tantum à sacris arcebantur, sed etiam cuncti eos aspernabantur, omnes abhorrebant, omnes ut putridum membrum & ressecandum fugiebant, cum iis rationem aut rem ullam contrahere nefas erat, nemo eos salutatione, nemo fratris appellatione, nemo adspectu, nemo alloquio, nemo convivio eos dignos judicabat, tantà severitate, ut ne quidem preces cum iis adhibere & conjungere licuerit. Excipiebatur tamen unus alterve casus, atque is præcipuè, si colloquio cum excommunicato instituendo spes suberat excommunicatum per illud ad pœnitentiam excitatum iri. Ita enim in formula Excommunicationis ex Reginone Prumiensi adducta subjungitur: *His exceptis, qui ob hanc causam ei (excommunicato) junguntur, ut eum revocent ab errore, & provocent ad satisfactionem.*

LII. Tandem etiam hoc Excommunicationi, præsertim majori & lethali, accedebat, ut si quem ita excommunicatum ante reconciliationem cum Ecclesia factam in sua impœnitentia mori contingeret, is honestæ sepulturæ honore excideret. Cùm enim magnum divini judicii præjudicium sit, si quis ita deliquerit, ut à communicatione orationis & communis

com-

commerciū relegitur, ut Tertullianus in Apologetico loquitur, iniquum etiam esse statuerunt Veteres, ut qui in vita à cœtu fidelium segregari meruerit, cum sanctis dormitorium commune haberet, vel eadem solennitate, quâ fidelibus defunctis contingit, efferretur & conderetur. Unde *sepulturam asini*, quæ aliàs irati Dei pœna est, Jerem. XXXII. v. 19. ei decreverunt. In formula quadam Excommunicationis, quæ apud Reginonem Prumiensem libr. II. de Discipl. Eccles. num. 412. habetur, ista post alia usurpantur verba: *Sepulturâ asini sepeliantur, & in sterquilinum sint super faciem terræ.* Imitati quoque hęc pactò Christiani sunt Judæos, quippe qui excommunicatum mortuum non plangebant, quin potius in detestationem tumulum ipsius lapidibus obruebant.

LIII. Ceterùm interdum fit, ut excommunicationi, præsertim majori & lethali, certi ritus ac certæ ceremoniæ externæ adjungantur, quæ faciunt, ut ea *solennis* evadat; ut ut non diffitendum sit, istas ceremonias primis seculis vel planè non, vel tanto cum apparatu non fuisse adhibitas. Inter illas est cereorum ardentium extinctio, de qua Regino Prumiensis in quadam excommunicationis formula libr. II. de Discipl. Eccles. num. 409. ita loquitur: *Debent autem, dum fit Excommunicatio, duodecim Sacerdotes Episcopum circumstare & lucernas ardentis in manibus tenere, quas in conclusione anathematis vel excommunicationis projicere debent in terram & pedibus conculcare.* Quid autem sibi velit hic ritus, num. 412. additur: *Sicut hæ lucernæ de manibus nostris projectæ hodie extinguuntur, sic eorum (qui excommunicantur,) lucernæ aeternum extinguatur, nisi forte resipuerint, & Ecclesiæ Dei, quam læserunt, per emendationem & condignam pœnitentiam satisfecerint.* Solennem quoque faciunt Excommunicationem certæ quædam formulæ, quibus homo in impœnitentia & gravibus peccatis perseverans ab omni fidelium consortio & communione segregatur, ex Ecclesia & templo solenni modò pellitur, & coram omnibus aquâ & igni ipsi interdicitur. Quæ facta Excommunicatio reliquis provinciæ Episcopis insuper peculiaribus literis fuit significata. Hujusmodi Excommunicationis formulas exhibet

bet Regino Prumiensis libr. II. de Discipl. Eccles. num. 418. seqq. nec non Centuriatores Magdeburgenses Centur. X. cap. VI. Eadem propemodum non minus excommunicandi, quàm excommunicatum poenitentem Ecclesiae reconciliandi formula, quæ aliàs Concilio Arausicano subjungi solet, habetur in Decreto Gratiani Caus. XI. Quæst. III. cap. *Debent duodecim, &c.* cap. *Canonica instituta* &c. nec non cap. *Cum aliquis &c.*

LIV. Quàm gravis autem res est ipsa Excommunicatio, tam sollicitâ cum circumspèctione circa eam, sive minor ea sit, sive major, est versandum, nec facilè aut citra urgentem necessitatem ad eandem est accedendum. Nec unus Minister sibi soli hoc jus, aut hujus juris exercitium arrogabit, sed totius Presbyterii est decernere, quando & ubi ad extremum hunc censuræ Ecclesiasticæ gradum sit deveniendum; imò nec Magistratus Christianus, cui rerum sacrarum cura cessit, ab hoc negotio prorsus est excludendus, ceu mox monebimus. Certè quàm cauti, providi, & circumspèctè se gerentes fuerint Veteres in excommunicationis sententia ferenda, & quàm ægrè, quàm tardè ad extremum hoc remedium, quò graviore & vehementiore Ecclesia in foro suo externo uti non potest, accesserint, quàm nihil non tentaverint, quò minùs gravi istâ censurâ esset opus, & quando ad illam fuit deveniendum, quàm ægrè, quàm inviti, imò quàm dolentes & gementes eandem in reum decreverint, sacræ Antiquitatis studiosum fugere non potest. Unde adeò rectè Ambrosius libr. III. Officior. cap. XXVII. dixit: *Cum dolore amputatur etiam, quæ putruit, pars corporis, & diu tractatur, si potest sanari medicamentis, si non potest, tunc à medico bono abscinditur; sic boni Episcopi affectus est, ut optet sanare, serpentina auferre ulcera, adducere aliqua, non abscindere, postremò quod sanari non potest, cum dolore abscindere.*

LIV. Atque hujusmodi animi dolorem tum præcipuè Patres præ se tulerunt, quando rigidissimum censuræ Ecclesiasticæ gradum adversus hæreticos usurpare sunt coacti. Quantum Ecclesia Paulo Samosateno emendationem sui præ se ferenti indulserit, *credens & sperans fore, ut is causam hanc*

hanc sine omni doctrina contumelia & probro esset emendaturus, ex Epistola Synodica Patrum in Concilio Antiocheno secundo congregatorum ad Ecclesias missa patet. Aliquam ejus partem servavit nobis Eusebius Histor. Eccles. libr. VII. cap. xxx. Recensent in ea non solum plurima Pauli hujus flagitia, quæ virum etiam catholicè sentientem & clero conjunctum reprehensibilem redderent, sed & hereses, ac peregrinas doctrinas, quas eructaverat, propter quæ omnia sede Samosatensi exciderit, imò simul à catholica Ecclesia, quæ sub cælo est, separatus & excommunicatus fuerit. Quantà verò cum ægritudine, necessitate ita urgente, hoc fecerint, istis exponunt verbis: Itaque necessitate coacti adversarium Dei, cum non cederet, excommunicavimus. Cùm Alexander, Alexandria Episcopus, homo naturà lenis & quietus, uti eum vocat Ruffinus Histor. Eccl. libr. I. cap. I. commonitionibus Arium à pravo incepto & impiis assertionibus revocare non posset, ac proinde Synodum cogere necessum haberet, in qua Arius damnatus fuit, ipse ad reliquos Episcopos scripsit, quàm ægrè ad extremum hoc remedium Synodus sit progressa, inter alia ita inquit: Quapropter etiam abdicati sunt Arius, & qui cum ipso fecerunt, ab Ecclesia anathemate percussi. Dolemus quidem eorum perditionem, præsertim quòd cum & ipsi olim Ecclesiæ fidem didicerint, jam resilierunt; verum non admiramur. Refert hæc, uti & integram Alexandri Epistolam Socrates libr. I. Histor. Eccles. cap. VI. Eòdem consiliò Concilii Milevitani Antistites Pelagium & Coelestium damnaturi facti sunt se optare, ut de correctione potius eorum gratulentur, quàm eorum contristentur interitu.

LVI. Neque aliud de damnatione Nestorii in Concilio Ephesino facta refert Evagrius libr. I. Hist. Eccles. cap. IV. quàm quòd Patres in viti, nec sine lacrymis ad lugubrem sententiam in eum ferendam accesserint. Declarationem Synodi his verbis l. c. recenset Evagrius: *Quoniam venerandissimus Nestorius neque vocationi nostræ (ter enim ad causam dicendam vocatus fuerat.) obedire voluit, nec sanctissimos ac religiosissimos Episcopos à nobis missos suscepit, necessario ad id egressi sumus, ut quæ impiè sunt ab illo presunta, rejiceremus, & quoniam illum*

cum ex lectis epistolis & libris ejus, tum ex verbis, qua recens in hac ipsa metropoli locutus est, impiè sentientem & pradicantem deprehendimus, necessitate tam canonum, quam epistola sanctissimi Patris & comministri nostri, Coelestini, Romana Ecclesia Episcopi coacti frequenter illachrymantes ad duram hanc sententiam proferendam processimus. Dominus itaque noster Jesus Christus blasphemis ab illo affectus per hanc presentem Synodum Nestorium hunc ab Episcopali dignitate, universoque sacerdotii Collegio alienum esse decrevit.

LVII. Eadem ratione Flavianus, Constantinopolitanus Episcopus, erga Eutychem sese gessit. Siquidem annò 448. mense Novembri in causa Florentii, Sardicensis Episcopi, Constantinopoli coacta erat Synodus triginta duorum Episcoporum & viginti trium Archimandritarum ac monachorum, cui Flavianus præerat, ad quam Synodum Eutychem quoque causa fuit devoluta, ut ex Evagrìo libr. I. Histor. Eccl. cap. IX. constat, inque eadem Eutyches primum contumax, deinde versipellis hæreseos tandem fuit convictus & damnatus. Quàm ægrè verò & quàm dolentes ad ejus, quem fidem salvificam inviolatam servare cupiebant, abjectionem processerint Patres, ex sententia adversus Eutychem lata intelligere datur, quippe in qua hæc comparent verba: Eutyches *nec nostram reverens persuasionem atque doctrinam rectis noluit consentire dogmatibus. Unde lacrymantes & gementes perfectam ejus perditionem decrevimus, per Dominum nostrum Jesum Christum ab eo blasphematum, exterminatum eum esse ab omni officio sacerdotali, & à nostra communione, & primatu monasterii: scientibus hoc omnibus, qui postea colloquentur ei, & eum convenerint, quoniam rei erunt & ipsi poena excommunicationis.* Flavianò per Dioscorum postea occisò relata hæc sunt in Concilii Chalcedonensis Actione primâ. Ipse Flavianus de Eutychem excommunicatione certiolem fecit Leonem M. Romanum Episcopum, inter alia sic scribens: *Depositis fletibus & lachrymis, quas incessanter fundo, quia sub me Clericus invasus est à fero demone, &c.* Ipse Leo Epist. XIII. ad Pulcheriam Augustam: *Multum doleo, multumque contristor de casu Eutychem.*

LIX. Similiter cum in Dioscorum Alexandrinum in
Con-

Concilio Chalcedonensi ferenda esset sententia, Julius, Co-
ensis Episcopus, Leonis M. legatus *dolens ac gemens dixit, alie-
num eum esse ab Episcopatus dignitate.* Benè iterum Leo M. Epist.
XCIII. *Nulli Christianorum facile communicatio denegetur, nec ad indi-
gnantis fiat hoc arbitrium sacerdotis, quod in magni reatus ultionem
inuitus & dolens quodammodo debet inferre animus.*

LIX. Monent hæc optima Leonis verba, non solum
magna cum circumspectione ad hoc genus censuræ Eccle-
siasticæ esse accedendum, sed & in ea usurpanda & irroganda
nihil præcipitanter esse agendum, nihil affectibus esse dan-
dum, ac proinde etiam eandem uni non facile committen-
dam. In primitiva Ecclesia causæ cognitio penes Episcopum
& Presbyteros, *probatos illos seniores, qui præsidebant, honorem il-
lum non pretiò, sed testimoniò adeptos, ut Tertullianus in Apologet.
cap. XXX. loquitur, erat, per quos etiam quoties necessitas
exigebat, sententia excommunicationis istò præsertim tem-
pore, quò Ecclesiæ in fidem & clientelam civilis magistratûs
nondum erant receptæ, ferebatur & executioni mandabatur.*
Postquam verò Magistratui Christiano cura quoque sacro-
rum cessit, neque is à tam gravi negotio est excludendus, si-
cuti rectè quoque monet B. Gerhardus Loc. de Ministr. Ec-
cles. §. 184. *inquiens: Ad hunc extremum Ecclesiastica censura
gradum non temerè sine gravi consilio, & sine Ecclesia, & præcipuè
Christiani magistratûs consensu est progrediendum.*

LX. Ita sanè Nestorii dejectio à Theodosio Imperato-
re fuit confirmanda. *Quamvis verò Theodosius Nestorio plus
justò æquior depositioni Nestorii in Concilio Ephesino decretæ
non consensisset, cum tamen postea cognit à illius blasphemias literas
ad Cyrillum & Joannem Episcopos misisset, conveniunt inter se & de-
positionem Nestorii confirmant;* verba sunt Evagrii libr. I. Histor.
Eccles. cap. X. Quin imò ipse Eutyches precibus suis Theo-
dosium Imperatorem commovit, ut Florentium Silentiarium
ad Concilium Constantinopolitanum, cui Flavianus præ-
erat, mitteret, eique locum assidendi in Concilio daret;
quod quâ facilitate ab Imperatore impetratum erat, eâdem
quoque is à Concilio admittebatur. Idem Theodosius à

Chryſaphio eunūchio circumventus Eutyſchis fidem & Syno-
dum Ephēſinam ληſεικην totam approbavit, ea tamen poſteā
in Concilio Chalceonenſi repobata eſt ab ejus ſucceſſore
Marciano, qui unā cum conjuge Auguſtā in conſeſſum ſyno-
dicum ſextum Concilii Chalcedonenſis venit, græco-latinā
oratione oſtendens, *ſe in Synodum veniſſe ad fidei confirmationem, ſe
etiam id operam daturum, ut quæcunque à Synodo piè ac decen-
ter conſtituta, ſint in perpetuum rata maneant.*

LXI. Quàm maximè verò vel ideò magiſtratūs civilis
conſenſus & comprobatio requiritur, quando ſola Eccleſia
ad executionem Canonum & decretorum per omnia non eſt
ſufficiens: tunc enim autoritas Eccleſiæ autoritate civilis
majestatis quàm optimè fulcitur ac ſuſtentatur. Ita ſanè
cū Paulus Samoſatenus neq; domo Episcopali, neque Ec-
cleſiā, è qua Concilii Antiocheni decretò ejectus erat, abſti-
nere vellet, Imperatoris Aureliani, quamvis ethnici, auxili-
um interpellatum, *atque ad hunc modum Paulus ſumma cum
ignominia per mundanum principatum Eccleſiā expulſus fuit.* Vid.
Euſeb. Hiſt. Eccl. libr. VII. cap. XXX. Extat eam in rem Ca-
non V. Concilii Antiocheni, quod tertium vocari, atque ad
annum 341. referri ſolet, quamvis id non ab omnibus agni-
tum fuerit. Verba, quibus Canon iſte obſignatur, ſunt hæc:
*Si quis ab Eccleſia ſequeſtratus Presbyter aut Diaconus Eccle-
ſiam conturbare & ſollicitare perſiſtat, tanquam ſeditioſus per poteſtates
externas opprimatur.* Donatiſtæ, homines more aliorum cū
ſchiſmaticorum, tūm hæreticorum eximiam ſanctitatem
præ ſe ferentes, imò ſingularem puritatem & in tota Eccleſia,
& in ſingulis ejus membris requirentes, cū tamen eorum cœ-
tus totus ſcateret vulneribus & ſanie non tantum erroris impuriſſimi,
ſed etiam improborum morum; ceu ex Auguſtini diverſis locis
obſervavit Lambertus Danaus Nott. ad Auguſtini libr. de
Heres. cap. LXIX. ægrè quidem ferebant, & ſe, & reliquos,
qui in heterodoxias, imò hæreſeos ſuſpicionem venerant,
magiſtratūs, quamvis piī & fidelis, autoritate coërceri atque
comprimi, ne vel venenum latiùs ſerpat, vel ut ipſi reſipiscant;
attamen præterquam quod S. Auguſtini contradictiones fue-
rint

runt experti, ceu ex ejus Epist. XLII. L. CCIV. aliisque infinitis ferè locis apparet, etiam impedire non potuerunt, quò minus ab Arcadio & Theodosio lex adversum se conderetur; ut benè iterum notavit Lambertus Danaus l. c. Commemorandum etiam est, quod in Concilio Milevitano cap. XVII. fuerit decretum, ut qui post divortium frustrà tentatâ reconciliatione ad secunda vota transferint *Evangelicam & Apostolicam disciplinam contemntes ad pœnitentiam publicam atque externam redigantur; inque ea causa petendam legis Imperialis promulgationem.* Add. Concilii Verniensis in Gallia Pipini Regis auspiciis annò 756. celebrati Capitul. X. Et Concilii Turonensis tertii tempore Caroli M. annò 813. celebrati Capitul. XLI. aliaque.

LXII. Diximus hæctenus de Excommunicatione, quæ in externo Ecclesiæ foro est ipsa *Ligatio*, cujus jus ab ipso Christo Ecclesiæ est datum. Ei opponitur *Solutio*, cujus jus Ecclesiæ pariter est concessum. Solvit verò Ecclesia peccatorem in foro suo externo, quando eundem peccata sua agnoscentem deque iis dolentem exactâ vel plenariâ pœnitentia externâ canonibus determinatâ, atque ita satisfactione canonicâ præstitâ, vel minimùm operum pœnialium & satisfactionis præstandæ aliquali relaxatione, quæ *Indulgentia* appellabatur, impetratâ in gremium suum iterum recipit, atque externæ communioni non solum precum, verum etiam arctissimæ, quæ in S. Eucharistiæ participatione consistit, restituit, atque ita eundem rursus pro vero suo & corporis Christi mystici membro reputat. Quod quando fiebat, homo dicebatur *reddi communioni, & pacem consequi.* Recipit verò hęc pæctò Ecclesia non solum eos, qui olim excommunicationem actu ipsò incurrerunt, verùm etiam eos, qui ut eandem incurrerent, ipsò quidem factò meruerunt, pœnitentiâ tamen oblatâ eandem anteverterunt. Cujusmodi temporibus S. Cypriani erant nonnulli ex *Libellaticis, Thurificantibus, Traditoribus,* & alii, qui errorem suum ultrò agnoscentes ad agendam pœnitentiam sese offerebant, reconciliationem hęc pæctò cum Ecclesia quærentes. Atque uti ligatio hujusmodi à
Deo

Deo in caelis habetur rata, ita pariter solutionem ab Ecclesia factam Deus in caelis ita habet ratam, ut quem hominem coetui suo restituit, sibi que adeo agglutinat Ecclesia, eum quoque Deus pro membro Ecclesiae visibilis reputet, inque eum bona externa Ecclesiae conferri lubens patiat. Sic ergo *quicquid ab hominibus ligatur in terra, ligatum quoque est in caelis, & quicquid solvitur in terris, solutum quoque est in caelis.* Matth. XVI. v. 19. cap. XIX. v. 18. Joh. XX. 23.

LXIII. Imò Ecclesia ideò ligat, non ut qui ligatus est, perpetuò censuræ vinculo constrictus maneat, sed ut inde virtute Spiritus Sancti se expediat & eluctetur. Quamvis enim altera Excommunicationis species vocetur *mortalis*, talis tamen potius est ex eventu, si nimirum homo in peccato & malo proposito, atque ita in pertinacia sua perseveret, quàm ex intentione Ecclesiae; quam ipsam si sequatur homo peccator, id præcavet, quò minus excommunicatio, quæ lethalis futura erat, actu ipsò interveniente poenitentia sit talis. Atque ita proximus excommunicationis atque ligationis finis est hominis emendatio. Et purgat se Ecclesia ex coetu suo segregans peccatò inquinatum hominem, ut deinceps emendatum & purum recipiat. Ita sanè Apostolus *Hymenam & Alexandrum tradidit Satanae, ut discant non blasphemare,* I. Tim. I. v. 20. & incestuosum hominem vult *tradi Satanae, ad interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die illo Domini Jesu.* I. Cor. V. v. 5.

LXIV. Quàmnam autem ratione Satanæ tradiderit Apostolus illos hæreticos, hunc verò incestuosum, non æquè apud omnes exponitur. Sunt nonnulli, qui putant, Apostolum non loqui de Excommunicatione, neque majore, neque minore, sed de miraculosa quadam permissione, quâ Satanæ concessum fuerit, corpus tantum affligere, ut homines ejus flagello castigati ad se redirent atque resipiscerent; quemadmodum Hiobi res & bona, tandem etiam ipsius corpus ad tempus Satanæ fuerunt permessa, ita tamen, ut vitæ ipsius parceret, Hiob. I. v. 16. cap. II. v. 6. Et Apostolus II. Corinth. XII. v. 7. dicit, *sibi datum esse surculum infixum carni & Angelum Satan, ut se colaphis*

*phis caderet. Quò pactò hominem Satana tradere esset dare hominem Satana tanquam pedagogo, ut eum flagellet malò ulcere, aut morbò aliò; ut inquit Chrysostomus in I. Corinth. Homil. XV. vel miraculosò aliquò flagellò carnem percellere, juxta Augustinum contr. Ep. Parm. libr. III. cap. I. ita quidem, ut interitus non consummatam absumtionem carnis significet, sed castigationem, ut loquitur Ambrosius libr. I. de Pœnit. cap. XVII. qui & cap. præced. XII. inquit: Sicut Dominus in animam Sancti Job Satanæ potestatem non dedit, sed in carnem ejus permisit licentiam; ita & hic incestuosus traditur Satana in interitum carnis, ut serpens terram ejus (h. e. corpus de terra sumtum) lingeret, anima non noceret. Quò tamen pactò illuditur potius Diabolus, ut morsu suò se vulneret, & contra se armet, quem debilitandum putavit. --- Quod enim nocet corpori, juvat spiritum. --- Carnem ulcerat, sed custodit animam: terram devorat, sed reservat spiritum. ibid. cap. XIII. Scilicet non immemores fuerunt hi Pates, unà cum dono miraculorum hoc quoque concessum esse Apostolis, ut in homines sceleratos & refractarios etiam poenâ quâdam temporali potuerint animadvertere. Ita namq; Petrus Ananiam & Sapphiram enecavit, Actor. V. v. 6. & 10. Elymam magum Paulus excœcavit, Actor. XIII. v. 8. II. Quò etiam quodammodò respiciunt verba I. Cor. IV. v. 21. *Quid vultis? cum virga veniam ad vos?* Exsertius autem ita II. Cor. XIII. v. 10. inquit: *Propterea hac absens scribo, ne præsens severitate utar ex potestate, quam dedit mihi Dominus ad edificationem, ac non ad destructionem.* Hâc sanè virtute Alexander, Ecclesiæ Constantinopolitanæ Episcopus, minùs aliàs ad disputandum instructus, dicacem & multiloquum Sophistam fidei Christianæ capita impugnaturum ore obturatò silere fecit. Vid. Sozom. libr. I. Hist. Eccl. cap. XIIIX.*

LXV. Verùm enim verò non adeò veritati simile esse videtur, Apostolum homines pessimam hæresin spargentes aut aliàs inordinatè sese gerentes eòque ipsò scandalum præbentes calamitati solummodò ratione corporis immittendæ obnoxios facere voluisse, tales tamen judicasse, qui non penitùs à corpore Ecclesiæ sint avellendi, sed in externa communione tolerandi: quandoquidem tales etiam quoad externam conversationem vitari voluit, I. Cor. V. v. 11. Unde adeò

G

omni-

omnino hominum malorum traditio in potestatem Satanæ ipsam Excommunicationem aut minimum effectum ejus designavit: *Cum enim deserimur à Deo, tradimur Diabolo, in cujus potestatem redacti in nostris malis afficimur;* inquit Chrysostomus Homil. XXCVI. in Johann. Et rectè quidem ita inquit: Et enim qui extra Ecclesiam, in qua regnat Christus, projicitur, non potest non incidere in potestatem Satanæ, extra Ecclesiam regnantis, terroribus & aliis calamitatibus hominem flagellantis, ut is judicii Ecclesiastici veritatem & severitatem sentiat non quidem ad æternum suum exitium, sed *εἰς ὄλεθρον τῆς σαρκός*, veterisque hominis concupiscentiam hęc remediò domandam, atque ut per veram pœnitentiam cum Deo, tum Ecclesiæ reddatur; quò pacto *spiritus salvus fit in die illo Domini Jesu.* Ast an minor, an verò major excommunicatio, an hujus, an illius effectus intelligatur, ambiguum est. Marcus Antonius de Dominis libr. V. de Republ. Eccles. cap. IX. §. XIV. putat, voces illas: *Tradere Satana;* posse denotare minorem Excommunicationem. Quod qui probant, id ipsum ex eo potissimum colligunt, quòd ei, qui excommunicatus est excommunicatione majore, spes salutis sit præcisa, neque pro eo Ecclesia oret; at verò pro incestuoso illo, cujus I. Cor. V. fit mentio, ipsemet Apostolus oravit & intercessit. II. Cor. II. v. 7. Verùm enim verò utut vel erga hunc incestuosum hominem sententia excommunicationis fortè publicè & solenniter non statim sit lata, aut executioni data, sed reus aliquantisper in suspensò relictus, pœnitentiæ autem spem faciens *ἐπιτιμία* à Presbyterio correptus atque post eandem communioni restitutus fuerit, vel inter excommunicationem & pœnitentis restitutionem non adeò diuturnum intercesserit intervallum, inde tamen non potest concludi, illam *Satana traditionem* esse solùm minorem excommunicationem, quippe per quam sicuti reus non prorsus à corpore Ecclesiæ avellitur, ita nec Satanæ ejusque potestati traditur. Neque id probat Apostoli intercessio. Illa enim intercessio non fuit fidelis pro alio fidei tanquam beatæ vitæ futuro cohæredè coram Deo, sed fuit tantùm intercessio pro homine vel excommunicando, vel jam tum excommunicato coram Eccle-

ſia, pœnitente tamen & ad Eccleſiam Chriſti, unde vel ipſo
facto, vel ſententiâ latâ exciderat, rurfus anhelante & iterum
reducendo; cujuſmodi interceſſiones in Eccleſia non fuerunt
inuſitatae: ſiquidem omnes pœnitentes *preſbyteris aduoluebantur,*
& caris Dei adgeniculabantur, omnibusque fratribus legationes
deprecationis ſuae, adeoque interceſſiones, injungebant; ut conſtat
ex Tertulliano libr. de Pœnit. cap. IX.

LXVI. Quemadmodum autem Satanæ quidem juſ in
Hiobi bona & corpus concedebatur, in vitam verò ipſius non
item; ita per Excommunicationem Satanæ non confequitur
potestatem in animam hominis, ſed tantum in corpus ejus,
ut illud vel ad tempus affligat, vel alias adverſitates in homi-
nem concitet, hæc ipſa tamen afflictio animum non ſtatim
propterea ſuffocat; imò ideò ſaltem hæ afflictiones divinâ
permiſſione immittuntur, ut homo iis humiliatus peccata
ſua agnoſcere & deteſtari incipiat, verâque fide ad Chri-
ſtum revertatur, atque ita *Spiritus ſalvus ſit in die illo Domini*
Jeſu. I. Cor. V. v. 5. ut etiam egregiè hoc docet Ambroſius
libr. I. de Pœnit. cap. XII. & XIII. Quantam enim externæ il-
læ calamitates vim habeant hominem ad pœnitentiam incli-
nandi, vel ſolius Ahab exemplò oſtendi poteſt. Huic enim
cùm Dominus iram ſuam & pœnas peccatis ipſius proſiſtas
per Eliam denunciaſſet, *Rex iſta audiens verba ſcidiſt veſtimenta*
ſua & poſuit ſaccum ſuper carnem ſuam, jejunavitque ac dormivit
in ſacco & ambulavit ſenſim (demiffò capite.) Fuit autem ver-
bum Jehovæ ad Eliam Theſbitem, dicendo: Vidiftine quòd humilia-
verit ſe Ahab à facie mea; propterea quòd humiliavit ſe à facie mea,
non inducam malum in diebus ejus: in diebus filii ejus inducam ma-
lum ſuper domum ejus. I. Reg. XXI. v. 20. 21. 22. 27. 28. 29. Atque
hoc eſt, quod David ait *Pſalm. LI. v. 18. Cor contritum & humi-*
liatum, Deus, non deſpicias.

LXVII. Sic ergò per Excommunicationem homo tra-
ditur Satanæ *ad interitum carnis*, ut homo ejus afflictionibus
excruciatuſ priſtinæ conditionis memor incipiat *dedolere*, nec
ampliùs ſe tradat *protervia ad certatim patranda omnem impuri-*
tatem, ſed Spiritûs Sancti gratiâ adjutus deponat, quod ad priſtinam
converſationem attinet, veterem illum hominem, qui deceptricibus cor-

rumpitur cupiditatibus, renovetur autem spiritus mentis sua &c. Eph. IV. v. 19. 22. 23. atq; sic qui quondam erant tales, rursus sanctificentur, & justificentur in nomine Domini Jesu, & per Spiritum Dei nostri. I. Cor. VI. v. 11. Quò pacto demum Spiritus fit salvus in die illo Domini Jesu. I. Cor. V. v. 5. Atque hic demum est finis, quem Ecclesia ad istud censuræ genus descendens intendit.

LXIIIX. Fini huic addi possunt adhuc alii. Etenim Excommunicatio est exercitium disciplinæ Ecclesiasticæ: Sicut autem pœnæ aliàs non semper ad interitum diriguntur, sed ad emendationem delinquentis, & præterea in exemplum aliorum; ita non minùs exercitium hujus disciplinæ post emendationem peccatoris in aliorum exemplum dirigitur, ut hi rectius sapere, cautiùs mercari, similia & alia peccata evitare, ac proinde similem censuram effugere, rectò autem tramite semper incedere discant. Quòd si enim correptiones privatæ ad lucrandam animam respiciunt, Matth. XII. v. 15. & qui cum scandalo peccant, coram omnibus sunt arguendi, ut reliqui timeant, I. Tim. V. v. 20. etiam extremus censuræ ac disciplinæ Ecclesiasticæ gradus in terrorem aliorum est adhibendus. Benè Sozomenus libr. VII. Hist. Eccl. cap. XVI. Antea, cum major esset disciplinæ severitas, minùs delinquebant homines, cum propter pudorem peccata sua confitentium, tum propter severitatem eorum, qui judices ejus rei constituti erant. Respiciunt huc quoque verba Concilii Turonensis primi, quibus dicitur, Excommunicationem ideò irrogari, quò faciliùs & ipse peccator compunctionem per hanc confusionem accipiat, & alii ejus terreantur exemplò.

LXIX. Porrò cum per magnum aliquod & apertum delictum in Ecclesia scandalum sit ortum, id ipsum censurâ adhibitâ amovetur & sanctitas Ecclesiæ conservatur, bonaque ejus fama coram gentibus non imminuitur. Decet enim omnes ad populum Dei pertinentes conversationem habere honestam inter gentes, ut pro eo, quod loquantur adversus nos velut maleficos, ex bonis operibus, quæ spectarint, glorificent Deum in die visitationis, I. Petr. II. v. 12. Conf. I. Petr. III. v. 16. Tit. II. v. 8. Id quod primis seculis, quibus Christiani multis calumniis à gentilibus impetebantur, maximopere erat necessarium. Quibus enim criminationibus immerentes facti fuerint obnoxii, & quàm strenuè
con-

contra easdem ab iis, qui Apologias suas pro Christianis adornarunt, sint defensi, videre licet in libr. B. Dn. D. Christiani Kort-holti de Calumniis Paganorum in Veteres Christianos sparsis.

LXX. Quibus finibus accedit satisfactio Ecclesiae in Pœnitentia externa præstanda: siquidem æquum est, ut qui Ecclesiam publicè scandalò datò læsit, etiam publicè Ecclesiam adificet, & scandalum ab ea tollat; inquit Marcus Antonius de Dominis libr. V. de Republ. Eccles. cap. VII. num. 41. Præclarè admodum S. Augustinus in Enchiridio cap. LXI. Quia plerumque dolor alterius cordis occultus est alteri, neque in notitiam aliorum per verba & quacunque alia signa procedit, cum sit coram Deo, cui dictum: Gemitus meus à te non est absconditus; rectè constituntur ab iis, qui Ecclesiae præsumunt, tempora pœnitentiae, ut fiat etiam satis Ecclesiae, in qua remittuntur peccata. Nec non Cæsarius Arelatensis Homil. II. In luctu & tristitia multò tempore permanentes & pœnitentiam etiam publicè agentes, quia justum est, ut qui cum multorum destructione se perdidit, cum multorum adificatione se redimat.

LXXI. Fines tamen isti adhuc ulteriores respiciunt. Etenim Pœnitentia externa homini relapso injungitur, ut per pœnas canonicas susceptas profiteatur, se propter admissum peccatum indignissimum esse divinis beneficiis, ac proinde coram Deo se humiliet, infra eos, qui divinis istis beneficiis digni censentur, sese deprimat, omnique fastu positò solius Dei misericordiam imploret. Huc pertinet illud Apostoli II. Thess. III. v. 14. Ne commercium cum eo, qui notatus est, habete, ut eum pudeat. Hæc peccatorum agnitio hominem simul ad seriù de iis dolorem excitat, firmamq; fiduciam de gratuita peccatorum remissione impetranda adducit. Quæ est Pœnitentia interna coram Deo agenda. Hanc sequitur conciliatio cum Deo, in foro ejus interno, ut *justificati ex fide pacem habeant erga Deum per Dominum nostrum Jesum Christum*, Rom. V. v. 1. & porrò renovatio ac sanctificatio ultimò desinens in *sine fidei, qui est salus animarum*, I. Petr. I. v. 9. Sequitur quoq; eandem *pax Ecclesiae* & restitutio in possessionem fraternitatis Christianæ in foro Ecclesiae externo. Sic ergò humiliandus fuit, quem Ecclesia optat exaltari! Sic intelligere debet homo, non aliam esse sortem verorum Christianorum, quàm ut irati Numinis vindictam aliquò prægustu sentiant atque experiantur, ut æternas inferni pœnas effugiant!

* * * *

* * * * *

Ad declarationem eorum, quæ §. xxix. & xxx. de Judæorum Excommunicatione dicta sunt, subjungimus recentissimam formulam Excommunicationis à Judæis quatuor regionum *Poloniae* &c. in quosdam *R. Davidis*, hodiernum superstitis, obrectatores evibratae & Amstelodami haud ita pridem publicatae. Ea verò ex Hebræo in Latinum sermonem traducta ita sese habet:

Illustribus, Clarissimis & Gravisimis Antistitibus ac Doctoribus Synagoga Amstelodamensis, nationis Germanicae.

Horenda & stupenda audivimus maledicta, quibus aliqui onerare ausi sunt Virum celeberrimum, *R. Davidem*, Præsidem ac Doctorem Synagoga vestrae illustrem. Obturet os maledicorum, & faucibus sceleratissimorum istorum hominum infundatur bitumen ardens. Definitum à nobis, unanimi consensu, curatè rem pensitantibus, ad vindicandum grande istud facinus, quod in clarissimum Virum laudatum, de tota gente Judaica celeberrimisque Synagogis meritissimum nefariè commiserunt, ut scelesti illi homines sint excommunicati, ejecti & exclusi ab omni religione Judaica. Nullum ipsis sit cum aliis commercium, nullaque cum iis contrahenda affinitas, neque illis hospitium nocturnum concedendum in ulla domo Judæi, neque in morbis hi invisendi, neque sepulchrò Judaicò condendi, sepultura eorum sit, asinina, ut instar cadaverum aut fimi in agris projecti jaceant: omni denique aliò modò à Judæis sint prorsus secreti, donec pœnitentiam agant sinceram, publicam, & solennem, & celeberrimus Vir ac Doctor laudatus sit omninò conciliatus. Præterea antè non liberabuntur ab hoc anathemate, à diris & fulminibus istis, donec scelesti isti se nobis sistant, se coram nobis prosternant, petantque intercessionem apud Virum clarissimum. Vindicabit enim Deus hanc injuriam per suos Angelos, &c. Adhuc aliam Excommunicationis formulam ex antiquo Manuscripto Hebræo nobis exhibet Buxtorffius in Lexico Chaldaico, Thalmudico, & Rabbinico p. 828. 829. quò cum anathemate conferenda sunt, quæ Deut. xxix. & xxx. leguntur.

F I N I S.

* * * * *

Da. 952. 6

Da 952

ULB Halle 3
003 751 120



A


TA → OL

nur BC Biskov
angehängt

W 17

W.C.







DISSERTATIO THEOLOGICA
SECUNDA

DE
DISCIPLINA
ECCLESIASTICA,

QUAM
D. O. M. A.

Consensu Venerandi Ordinis Theologici
IN ILLUSTRACADEMIA JULIA
P R Æ S I D E

JOH. BARTHOLDO NIEMEIERO
SS. THEOLOGIAE DOCTORE, PRIMAE PHILO-
SOPHIAE NEC NON LOGICES PROFESSORE
PUBLICO ET ORDINARIO, FACULTATIS
SUAE H. T. DECANO,

IN AUDITORIO THEOLOGICO

D. XI. SEPTEMB. ANNI clō lōc xcv.

Publico Eruditorum examini submitter

AUGUSTUS FRIEDERICUS Schneider/
Halberstadiensis.



HELMSTADII,

Typis SALOMONIS SCHNORRII